divina, ſitque formalis ſimilitudo Dei, ut eſt in ſe, dicunt, repugnare talem ſpeciem, quæ ſit creata, & Deum, ut in ſe eſt, repræſentet.

§. II.

Reſolutio difficultatis.

III. DIco. Non eſt poſſibilis ſpecies creata, ſive impreſſa, ſive expreſſa, quæ Deum, ut eſt in ſe, repræſentet. Ita S. Thomas *1. p. quæſt. 12. art. 2.*, cujus ratione probatur ſic. Illa ſpecies repræſentaret Deum, ut eſt in ſe, & non repræſentaret; ergo eſt impoſſibilis. Antecedens pro prima parte ſupponitur ab adverſariis. Pro ſecunda vero probatur a Div. Thom. ex Dionyſ. *cap. 1. de divin. nomin.* Per ſimilitudines inferioris ordinis rerum nullo modo poſſunt ſuperiora repræſentari, aut cognoſci, ut ſunt in ſe, ſicut per ſpeciem corporis non poteſt repræſentari, aut cognoſci res incorporea, ut eſt in ſe; ſed ſpecies creata, quæcumque ſit, eſt eſſentialiter ſimilitudo rei creatæ, quæ eſt inferioris ordinis ad Deum, ſicut ſpecies corporis eſt eſſentialiter ſimilitudo corporis, quod eſt in inferiori ordine ad ſpiritum; ergo ſicut repugnat, quod per ſpeciem corporis repræſentetur, aut cognoſcatur Spiritus, ut eſt in ſe: ita, & multo magis, repugnabit, quod per ſpeciem, & ſimilitudinem rei creatæ repræſentetur, aut cognoſcatur Deus, ut eſt in ſe.

IV. Quod ſi dicatur, ſpeciem illam fore quidem creatam entitative, & intrinſece, fore tamen repræſentative, & extrinſece Deum. Quæſo, cur etiam non poterit ſpecies corporea eſſe entitative, & intrinſece corporea, & repræſentative, & extrinſece ſpiritus, ita, ut poſſit eum, ut eſt in ſe, repræſentare? quod ſi hoc eſt impoſſibile, cur non illud? ſi ſpecies corporis ſic eſt ſimilitudo corporis, ut nequeat eſſe ſimilitudo ſpiritus, ad eum, ut in ſe eſt, cognoſcendum: cur ſpecies creata non ita erit ſimilitudo creaturæ, ut non poſſit eſſe ſimilitudo Dei, ad eum, ut in ſe eſt, cognoſcendum?

V. Secundo probatur ex eodem Sancto Thoma. Omnis ſimilitudo creata habet eſſe participatum, circumſcriptum, & limitatum: Deus autem eſt ipſum eſſe per eſſentiam, incircumſcriptum, & illimitatum: ſed eſſe participatum, circumſcriptum, & limitatum non poteſt eſſe repræſentatio ipſius eſſe per eſſentiam, incircumſcripti, & illimitati, ut eſt in ſe, ergo &c. Minor probatur. Quia enti in eſſentia finito, & circumſcripto, infinita, & incircumſcripta repræſentandi vis nequit convenire: nequit enim inter entitatem, & ejus repræſentationem dari infinita diſtantia.

Confirmo hoc. Qui videret illam ſpeciem, ſeu ſimilitudinem creatam repræſentantem Deum, ejuſque repræſentationem, non videret Deum, ut eſt in ſe, quia eum videret, ut repræſentatum in creatura; ergo neque intellectus utens illa ſpecie ad cognoſcendum Deum, illum cognoſceret, ut eſt in ſe, ſed ut illa ſpecie creata repræſentatum.

VI. Tertio probatur tam de ſpecie impreſſa, quam expreſſa, ratione, quam indicat Sanct. Thomas *1. Contra Gentes cap. 46.* ſub hac forma. Species, ut ſupra vidimus, ad hoc eſt inſtituta, ut, ſi ſit impreſſa, objectum reddatur actu, & proxime intelligibile: Si vero ſit expreſſa, ut per illam reddatur ultimate cognitum, & in actu ſecundo intellectum; ſed repugnat, Deum fieri proxime intelligibilem, & ultimo intellectum per aliquam formam creatam; ergo &c. Minor conſtat ex ſuppoſitis dubio præcedente. Minor probatur. Id, quod eſt per ſeipſum intelligibile, immo eſt ipſa ſumma intelligibilitas, & id, quod in linea intellectui ſeipſo eſt ultima actualitas, repugnat, ut fiat intelligibile, & intellectum per aliud; quia enim lux eſt per ſeipſam viſibilis, repugnat, fieri viſibilem per aliud: quia albedo per ſeipſam eſt alba repugnat fieri albam per aliud: & generaliter quod eſt tale per ſeipſum, repugnat fieri tale per aliud; ſed Deus eſt per ſeipſum intelligibilis, & ultimo intellectus, utpote actualiſſimus, & nullo modo in potentia: ergo &c.

VII. Urgetur magis. Eadem eſt ratio proportionaliter de intelligibilitate, ac de intellectualitate, & entitate; ſed quia Deus eſt per ſeipſum primum intelligens, & primum ens, immo ipſum eſſe, non poteſt fieri, nec actu, nec proxime intelligens, aut exiſtens per aliud a ſe; ergo a pari, quia eſt primum, & per ſe intelligibile, & intellectum, non poterit fieri intelligibilis, & intellectus per aliud a ſe.

VIII. Dices, argumentum hoc probare quidem, eſſentiam divinam non poſſe fieri intelligibilem, & intellectam a Divino intellectu per aliquam formam, aut ſpeciem diſtinctam: non tamen, quod non poſſit fieri intelligibilis, & intellecta ab intellectu creato per aliquid diſtinctum a ſe, ratione exceſſus, quem habet ſupra illum, ut nimirum illi proportionetur, & coaptetur.

IX. Sed contra. Non primo hoc probaret, non ſolum poſſibilem, ſed neceſſariam ſpeciem creatam in viſione beata, ſi hæc requireretur ad proportionandam divinam intelligibilitatem cum intellectu creato: quod tamen Scotiſtæ non afferunt, qui admittunt, Deum de facto videri abſque ulla ſpecie creata.

Secundo. Quod aliquod objectum ratione ſuæ excellentiæ ſit improportionatum cum potentia, non arguit, eſſe addendum aliquid objecto, quo ejus excellens intelligibilitas attemperetur, ſed eſſe ponendum aliquid in potentia, quo confortetur, & ad ejus cognitionem elevetur: Sicut ex eo, quod Sol ratione ſuæ lucis ſit excedens, & improportionatus cum oculo noctuæ, non ſequitur, ponendum eſſe aliquid in Sole, quo fiat oculo noctuæ attemperatus, ſed debere poni in oculo noctuæ majorem virtutem, & efficaciam, qua roboretur, & fiat potens videre Solem. Ergo ex eo, quod Deus ſit objectum excedens, & improportionatum cum intellectu creato, non ſequitur, debere per aliquam ſpeciem creatam ei proportionari, ſed potius creatum intellectum debere per lumen elevari, ut Deum videre poſſit. Et ratio eſt, quia ſpecies datur ad ſupplendum defectum objecti, non potentiæ. Cujus exemplum habemus in ſubſiſtentia divina, quæ, licet ſit excedens in perſonando naturam humanam, nullus unquam dixit, debere addi ex parte ſubſiſtentiæ divinæ aliquid, quo proportionetur, ſed ſolum ex parte naturæ humanæ aliquid, quo elevetur.

X. Tandem probatur. Quando Deus abſque ulla repugnantia poteſt aliquid efficere media cauſa ſecunda, id naturalius efficit per illam, quam per ſeipſum ſolum: ſicut, licet in ſententia Scotiſtarum poſſit Deus ſe ſolo ſine lumine Gloriæ creato concurrere ad viſionem beatam, connaturalius tamen concurrit cum lumine, quam ſine illo, ideoque de facto concurrit medio lumine creato. Ergo ſi abſque repugnantia Deus concurrere poſſet ad viſionem ſui media ſpecie creata, connaturalius concurreret per illam, quam ſine illa, & de facto per illam concurreret. Hoc autem Scotiſtæ non admittunt, ut dubio præcedente vidimus. Ergo ſignum eſt, quod ſpecies creata repugnat. Si enim connaturalius completur potentia per lumen intrinſecum, quod ſe tenet ex parte potentiæ: cur connaturalius non complebitur etiam per ſpeciem intrinſecam, etſi iſta ſe teneat ex parte objecti? Certe effectus, qui præſtabilis eſt per cauſas ſecundas, connaturalius habetur per illas, quam ſine illis. Sed hæc ſatis.

§. III.

Solvuntur argumenta contraria.

XI. OBjiciunt primo. Species creata repræſentativa Dei in ſe ideo repugnaret, quia deberet eſſe infinita ſicut Deus, & in eodem gradu immaterialitatis cum illo; ſed hoc non ſequeretur; ergo &c. Minor probatur. Lumen gloriæ, & viſio beata, ut Deum pro ut eſt in ſe attingant, ſufficit, ut ſint infinita extrinſece, & terminative, non vero ſubſtantialiter, & intrinſece; ergo ut ſpecies creata repræſentaret Deum ut eſt in ſe, ſatis eſſet, ut eſſet infinita repræſentative, & extrinſece, non ſubſtantialiter, & intrinſece.

XII. Reſpondeo, neg. min. ad prob. conc. antec. & nego conſeq. Et diſparitas eſt, quia lumen gloriæ, & viſio Dei ſe tenent ex parte potentiæ; lumen, ut eam elevans ad viſionem, viſio autem, ut actus, quo potentia vitaliter percipit Deum, ut eſt in ſe: unde ſequi debent naturam potentiæ, quæ videndo Deum non fit Deus, niſi extrinſece, ſicut oculus videndo colores non fit color, niſi extrinſece. At ſpecies impreſſa, ſive expreſſa ſe tenent ex parte objecti, tamquam ſimilitudo ejus, quæ in viſione intuitiva talis eſſe debet, ut verificetur, per illam objectum, ut revera in ſe eſt, poni intra potentiam, ac ſi intra ipſam objectum per ſuam ſubſtantiam poneretur: ideoque non extrinſece tantum, ſed intrinſece debet prædicata eadem, quæ objectum habet in ſe, continere. Cum vero nulla ſimilitudo creata, utpote participata, poſſit perfecte continere, neque repræſentative, Deum, ut in ſe eſt, ſed ſolum Deum, ut a creatura participabilem: ideo non poteſt eſſe ſimilitudo Dei, ut requiritur ad viſionem intuitivam; ſicut, quia ſimilitudo corporis non eſt ſimilitudo ſpiritus, ut in ſe eſt, non poteſt repræſentare ſpiritum, ut in ſe eſt, ſed ſpiritum ad modum corporis. Quare videns Deum per ſpeciem creatam, videret Deum, non facie ad faciem, ſed per ſpeculum in ænigmate: quia, ut ait S. Auguſt. lib. 15. de Trinitate cap. 9. *Speculi, & ænigmatis nomine quæcumque ſimilitudines ab Apoſtolo ſignificatæ intelligi poſſunt, quæ accommodatæ ſunt ad intelligendum Deum.*

Objiciunt ſecundo. Falſum eſt, quod ſpecies inferioris ordinis non poſſit quidditative repræſentare rem ordinis ſuperioris; ergo &c. Antecedens probatur. Species accidentalis eſt inferioris ordinis ad ſubſtantiam; & tamen ſpecies accidentalis poteſt repræſentare ſubſtantiam: nam ſpecies repræſentativa ſubſtantiæ accidens eſt.

XIII. Reſponderi poteſt, omiſſo antec. neg. conſequentiam, & ſuppoſitum conſequentis. Non enim probavimus, impoſſibilitatem ſpeciei repræſentantis Deum, ut eſt in ſe, ex eo, quod ſpecies inferioris ordinis non poſſit repræſentare rem ordinis ſuperioris; ſed ex hoc, quod per ſpeciem rei inferioris ordinis non poteſt repræſentari res ordinis ſuperioris, ſicut per ſpeciem corporis non poteſt repræſentari ſpiritus. Unde retorqueo argumentum ſic. Eſto ſpeciem accidentalem poſſit repræſentari ſubſtantia, hæc tamen non poteſt repræſentari per ſpeciem accidentis; ſed omnis ſpecies creata eſt eſſentialiter ſpecies quidditativa rei creatæ, ut probatum eſt; ergo nulla ſpecies creata poteſt Deum quidditative repræſentare.

XIV. Reſpondeo ſecundo, diſtin. antec. Inferioris ordinis ſolum in eſſe entitativo, concedo antecedens, quæ ſit inferioris ordinis tam in eſſe entitativo, quam repræſentativo, nego antec. poteſt autem ſpecies in eſſe entitativo eſſe ordinis inferioris, quæ tamen in eſſe repræſentativo tantæ ſit actualitatis, ut rem ordinis ſuperioris poſſit repræſentare: & hujuſmodi eſt ſpecies repræſentativa ſubſtantiæ.

XV. Sed ſtatim urgent. Species, quæ in eſſe entitativo eſt accidens, poteſt eſſe in eſſe repræſentativo ſubſtantia; ergo ſpecies, quæ in eſſe entitativo eſt creata, poterit eſſe increata, divina, & infinita in eſſe repræſentativo.

XVI. Reſpondeo, neg. conſequentiam, ſumptam pro repræſentatione Dei quidditativa, & ut in ſe eſt. Et diſparitas (inter

multas) hæc eſt. Nam repræſentatio ſubſtantiæ ex identitate cum ente accidentali non inficitur, quia ſecundum ſuum eſſe formale repræſentativum præſcindit, & manet immune ab inhærentia. At repræſentatio Dei in ſe ex unione, immo identitate cum ente creato, non eſſet amplius divina, ut requiritur ad repræſentandum Deum in ſe: etenim talis repræſentatio Dei in ſe formaliter exprimeret dependentiam a Deo, ut a prototypo, & cauſa formali exemplari: quod ſane repugnat Deo in ſe, etiam ut repræſentato. Ex quo infertur, quod, cum ſpecies ſubſtantiæ, etſi accidentalis, non deferat ſecum prædicatum repugnans ſubſtantiæ in eſſe repræſentativo, poteſt eſſe in tali genere ſubſtantia, eamque quidditative repræſentare. At ſpecies creata Dei, cum in eſſe repræſentativo explicet prædicatum repugnans Deo in ſe, nimirum dependentiam a Deo, ut prototypo, non poteſt eſſe in eſſe repræſentativo Deum in ſe, nec ipſum quidditative repræſentare.

XVII. Objiciunt tertio. Illa ſpecies creata repræſentativa Dei in ſe non foret infinita; ergo eſt poſſibilis. Ant. prob. primo. Ad effectum finitum non requiritur virtus infinita; ſed ſpecies datur ad viſionem beatam, quæ eſt finita, ergo non debet eſſe infinita: ſicut hac ratione nec lumen gloriæ eſt infinitum.

Secundo. Id præſtaret præfata ſpecies, quod modo præſtat eſſentia divina unita per modum ſpeciei; ſed eſſentia divina non præſtat effectum infinitum, cum finito modo uniatur; ergo neque ſpecies illa.

Tertio. Poſſibilis eſt ſpecies quidditativa Dei, quæ non ſit comprehenſiva, cum Deus libere talem ſpeciem produceret; ſed ſpecies quidditativa Dei, & non comprehenſiva, non eſſet infinita: ſicut hac ratione non eſt infinita viſio Dei quidditativa; ergo &c.

XVIII. Reſpondetur, negando antec. Ad primam prob. dico, eam pati evidentem inſtantiam in Angelo, qui eſt effectus finitus, & tamen petit ad ſui productionem virtutem infinitam, nempe creativam. Deinde dico, quod eſto *major* vera ſit de virtute ſe tenente ex parte potentiæ, quæ proportionatur cum illa, quale eſt lumen gloriæ, non tamen de virtute ſe tenente ex parte objecti: hæc enim unice commenſuratur cum illo, cujus eſt formalis ſimilitudo; ideoque, ſi hoc eſt infinitum, ejus virtus debet eſſe infinita.

Ad ſecundam diſtin. min. eſſentia divina non præſtat effectum infinitum, defectu ſui, neg. min. defectu capacitatis luminis, & potentiæ, conc. min. Si illa ſpecies creata præſtaret id, quod modo præſtat eſſentia divina, ſicut eſſentia divina ſecundum ſe potens eſt præſtare effectum infinitum, & parere cognitionem infinitam, niſi obſtaret incapacitas luminis; ita ſpecies illa creata deberet eſſe potens præſtare effectum infinitum, licet non præſtarent ob eumdem defectum.

Ad tertiam nego majorem; ſpecies enim repræſentans quidditative Deum, ut eſt in ſe, deberet omnia, quæ ſunt de quidditate Dei, repræſentare, & conſequenter omnia prædicata tum formalia, tum eminentialia. Uno verbo. Deberet Deum comprehendere, & circumſcribere ſua repræſentatione, nec Deus, ſi vellet, eam eſſe ſpeciem ſui quidditativam, poſſet oppoſitum velle. Neque eſt ſimile de Viſione Dei: hæc enim cum ſe teneat ex parte potentiæ, & ſit attingentia objecti, ſequitur conditionem, & virtutem potentiæ; at ſpecies ſe tenet ex parte objecti, ut formalis ſimilitudo ejus, ut in ſe, ideoque omnia, quæ ſunt in eo, debet repræſentare, alias eſſet, & non eſſet ejus quidditativa ſimilitudo.

XIX. Quarto objiciunt. In quocumque ordine poſſibilis eſt operatio, ſunt poſſibilia operationis principia; ſed in ordine creato poſſibilis eſt viſio Dei; ergo in eodem ordine poſſibilia ſunt principia viſionis Dei, quorum unum eſt ſpecies.

XX. Confirmatur primo. Omnis potentia ſufficienter diſpoſita ad aliquam cognitionem petit connaturaliter aliquam ſpeciem impreſſam; ergo cum intellectus lumine gloriæ perfuſus ſit ſufficienter diſpoſitus ad viſionem Dei, connaturaliter petit aliquam ſpeciem impreſſam; ſed non eſſentiam: hæc enim ſoli divino intellectui connaturalis eſt; ergo ſpeciem creatam.

XXI. Confirmatur ſecundo. Eſſentia divina ſupplet vices ſpeciei creatæ; ſed quod eſt impoſſibile, nequit ſuppleri; ergo &c.

XXII. Confirmatur tertio. Operationes Chriſti poſſunt eſſe finitæ in genere phyſico, & infinitæ in genere moris: cur ergo non poterit ſpecies illa eſſe finita in genere entis, & infinita in eſſe repræſentativo?

XXIII. Demum, ſi ſpecies naturalis elevari poteſt ad repræſentanda objecta ſupernaturalia, ut patet in ſpeciebus, quæ ſerviunt fidei: cur non poterit ſpecies creata elevari ad repræſentandum Deum, ut in ſe eſt?

XXIV. Reſpondeo, negan. abſolute maj. Poteſt enim eſſe ſpecialis repugnantia in uno comprincipio, quæ non ſit in alio, ſicut ſpecialis repugnantia eſt, ne detur ſubſtantia ſupernaturalis; quæ non datur in accidente ſupernaturali. Sicut ergo non valeret: In ordine ſupernaturali dantur accidentia; ergo datur etiam ſubſtantia creata. Ita non valet: In ordine ad viſionem datur lumen creatum; ergo poteſt dari ſpecies creata: quia circa hanc ſpecialis eſt repugnantia, ut dictum eſt, quæ non militat de lumine gloriæ.

XXV. Ad primam conſeq. dico primo, eam nimis probare: ſi enim intellectus perfuſus lumine gloriæ connaturaliter petit videre Deum per ſpeciem creatam, ſequitur, quod Deum de facto videat per eam, ſicut de facto videt eum per lumen ſibi intrinſecum, quia hoc illi eſt connaturale.

Deinde dico, potentiam ſufficienter diſpoſitam ad viſionem petere aliquam ſpeciem impreſſam poſſibilem; ſpecies autem creata ad viſionem Dei eſt impoſſibilis. Sicut enim non valet: Omne accidens petit ſubjectum ſibi connaturale; ergo accidens ſupernaturale petit ſubjectum ſupernaturale: quia hoc eſt impoſſibile. Ita non valet in caſu. Neque etiam ſequitur, quod intellectus lumine gloriæ perfuſus connaturaliter (abſolute, & proprie loquendo) petat divinam eſſentiam ſibi uniri per modum ſpeciei: ſic enim ſolus intellectus divinus eam connaturaliter petit; ſed ſolum lato modo, & ex ſuppoſitione elevationis. Sicut enim, teſte D. Th. *1. part. q. 12. art. 4. & 3. part. q. 9. art. 4.* ſcientia beata abſolute ſoli Deo connaturalis eſt: ita ei ſoli abſolute, & proprie connaturalis eſt ſpecies tali ſcientiæ deſerviens.

XXVI. Ad ſecundam confirm. dico, eam æquivocatione laborare. Dum enim dicimus, quod eſſentia divina ſupplet munus ſpeciei, non ſit ſenſus, quod ſuppleat vices alterius ſpeciei, quæ eſſet, ſicut ſubſtantia Verbi ſupplet vices ſubſtantiæ creatæ, quæ eſſet in natura humana, niſi loco ejus intraret ſubſiſtentia divina; ſed potius, quod, cum ſit impoſſibilis ſpecies ab ipſa diſtincta, eſſentia divina per ſe ipſam facit, quod alia objecta per ſpeciem accidentalem, & diſtinctam præſtant.

XXVII. Ad tertiam confirm. dico, latum eſſe diſcrimen inter ſpeciem creatam, & operationes Chriſti. Nam valor moralis eſto habeat entitatem actionis pro ſubjecto, ab ea tamen, ut a prima radice non ſumitur, ſed unice a Perſona, quæ eſt forma operationis dignificans; quæ cum in Chriſto ſit infinita, in eas infinitum valorem refundit. At eſſe intelligibile, ſeu repræſentativum taliter identificatur cum entitate, ut immateriali, ut, ſi immaterialitas finita eſt, non poſſit repræſentatio eſſe ſimpliciter infinita.

XXVIII. Ad ultimam dico, ſpecies naturales elevari quidem poſſe ad repræſentanda myſteria ſupernaturalia, quoad *an eſt*, non tamen quoad *quid eſt*, ſive *quidditative* unde retorqueri poteſt argumentum ſic. Species naturalis eſto elevari queat ad præſentandum ens ſupernaturale, quoad *an eſt* non tamen quoad *quid eſt*, ergo ſpecies creata eſto elevari poſſit ad repræſentandum Deum quoad *an eſt*, non tamen quoad *quid eſt, & in ſe*, Sed hæc ſatis.

QUÆSTIO IV.

De Lumine Gloriæ.

ALterum Viſionis Dei principium eſt Lumen Gloriæ elevans intellectum ad claram Dei viſionem. De hoc quæremus exiſtentiam, poſſibilitatem, influxum &c.

DUBIUM I.

An intellectus creatus ad videndum Deum aliquo creato lumine indigeat.

§. I.

Quid nomine Luminis Gloriæ intelligatur.

I. NOmine Luminis Gloriæ intelligitur virtus quædam creata ſupernaturalis a Deo in intellectum derivata (ſive per modum habitus, & permanentis, ut in Beato, qui permanenter Deum videt; ſive per modum auxilii tranſeuntis, ut in iis, quos ſupra probabiliter oſtendimus raptos fuiſſe ad videndum Deum tranſeunter) ratione cujus fit potens elicere viſionem, & ultimo diſponitur ad unionem cum eſſentia divina per modum ſpeciei impreſſæ.

II. Hinc infero primo, nomine luminis gloriæ non intelligi ipſam viſionem Dei. Nam, ut dicemus ex *Concilio Viennenſi*, lumen gloriæ eſt aliquod elevans intellectum ad viſionem; ſed viſio non poteſt elevare intellectum ad viſionem, ideſt ad ſe ipſam; ergo &c. Tum etiam, quia id a Concilio Viennenſi decernitur, quod Beguardi negabant; ſed illi non negabant viſionem, immo ad illam habendam neceſſarium non eſſe lumen, aſſerebant; ergo Concilium ſupponit, lumen eſſe aliud quid præter viſionem. Sic Eccleſia determinans contra Pelagium, gratiam eſſe neceſſariam ad actus ſupernaturales, & meritorios, nomine gratiæ non intelligit ipſos actus ſupernaturales, quia hi admittebantur a Pelagio, qui tamen gratiæ neceſſitatem negabat: ſed intelligit virtutem elevantem animam, ſeu potentiam ad tales actus.

III. Infero ſecundo, nomine luminis gloriæ non intelligi concurſum ſimultaneum, quo Deus cum Creatura concurrit ad viſionem ſui. Nam juxta hujus ſententiæ Patronos, concurſus ſimultaneus Dei ad viſionem nil aliud eſt, quam ipſa viſio, ut pendens a Deo, ergo ſicut laudatum Concilium per lumen gloriæ non intelligit ipſam viſionem, ita neque intelligit concurſum Dei ſimultaneum ad ipſam. Eo vel maxime, quod concurſus ſimultaneus non elevat animam ad videndum Deum, ſed ſuppoſita potentia jam elevata, & jam habente vires ad videndum Deum, cum illa producit viſionem; at Concilium nomine luminis gloriæ intelligit aliquid elevans, & dans intellectui ſufficientiam, & vigorem ad videndum Deum; ergo nomine luminis non intelligit concurſum ſimultaneum.

IV. Infero tertio, nomine luminis gloriæ non intelligi eſſentiam divinam gerentem munus ſpeciei impreſſæ. Nam primo. Species objecti non elevat potentiam, ſed unitur potentiæ jam elevatæ, & habenti vires ad cognoſcendum objectum; ſed lumen gloriæ ſupponitur a Concilio elevans; ergo &c. Secundo. Beguardi non negabant, divinam eſſentiam uniri per modum ſpeciei cum anima, immo aſſerebant, animam ex ſua natura in hac vita uniri divinæ eſſentiæ per modum ſpeciei;

& tamen lucem gloriæ negabant ; dum ergo Concilium adſtruit neceſſitatem luminis, adſtruit neceſſitatem alterius præter eſſentiam divinam per modum ſpeciei. Denique. Si ad videndum Deum nil aliud requiritur, quam eſſentia divina unita per modum ſpeciei, jam ſequitur, quod anima ex ſua natura ſit ſufficiens ad videndum Deum; ſed hoc eſt, quod Concilium damnat in Beguardis; ergo &c. Major probatur. Potentia, cui nihil aliud deeſt ad videndum objectum, niſi ſpecies objecti, dicitur abſolute potens videre Papam, etſi mihi modo deſit ſpecies Papæ, ergo &c.

§. II.

Reſolutio Dubii.

V. DIco. Intellectus creatus, ut videat Deum, aliquo creato lumine indiget confortari. Eſt contra hæreticos, quos *quæſt. 1. præſentis tractatus dubio* 1. §. 3. refutavimus: quare ibi dicta huc revocanda ſunt. Eſt definita tamquam aſſertio de fide in Concilio Viennenſi *Clement. ad noſtrum de hæreticis*, ubi inter errores Beguardorum ibi damnatos, hic erat quintus. *Quod qualibet intellectualis natura in ſeipſa eſt naturaliter beata; quodque anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.*

VI. Hanc veritatem indicant aperte Scripturæ. *Pſal.* 55. *verſ.* 13. dicitur *ut placeam coram Deo in lumine viventium.* Super quæ Div. Auguſtinus: *Ipſe* (inquit) *hic conſolator, ibi munerator, ubique vivificator, & vitæ dator . . . ut & hic in lumine fidei, & ibi in lumine ſpeciei, tamquam in lumine viventium in conſpectu Domini placeamus.* Sicut ergo hic lumine fidei indiget intellectus, ut vitam habeat, & Deo placeat, ita in patria, ut vitam habeat æternam, lumine indigebit. Idem ex Pſalm. 35. verſ. 10. *In lumine tuo videbimus lumen*, ubi eſto nomine luminis S. Auguſt. & alii Patres intelligant Chriſtum, ex ipſo tamen in mentes beatas lumen transfundi, inferunt; unde ait Auguſtinus ibi: *Si lumen eſt, oculos meos parem.* Et Serm. 284. *In lumine* (inquit) *tuo, non in noſtro . . . ergo accedite ad eum, & illuminamini . . . lumen eſt, accede, cape, & vide. Si non influat ille, ſiccus eris.*

VII. Quia vero lumen gloriæ ad duo neceſſarium eſt. Primo, ut ultimo diſponat intellectum ad unionem cum eſſentia divina, quatenus habet rationem ſpeciei impreſſæ. Secundo, ut intellectum elevet ad elicientiam viſionis beatificæ. Ideo luminis gloriæ neceſſitas ad primum.

VIII. Probatur ratione D. Thomæ 1. part. quæſt. 12. art. 5. *Omne, quod elevatur ad aliquid, quod excedit ſuam naturam, oportet, quod diſponatur aliqua diſpoſitione, quæ ſit ſupra ſuam naturam: ſicut ſi aer debeat accipere formam ignis, oportet, quod diſponatur aliqua diſpoſitione ad talem formam:* ſed intellectus, ut videat Deum, debet elevari ad unionem cum divina eſſentia, tamquam forma intelligibili, quæ excedit ſuam naturam; ergo *oportet, quod aliqua diſpoſitio ſupernaturalis ei ſuperaddatur ad hoc, quod elevetur ad tantam ſublimitatem . . . & iſtud eſt lumen, de quo dicitur Apocal.* 21. quod claritas Dei illuminabit eam: *ſcilicet ſocietatem Beatorum Deum videntium. Et ſecundum hoc lumen efficiuntur deiformes, ideſt Deo ſimiles, ſecundum illud 1. Joann.* 3. Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum, ſicuti eſt. Ita D. Th.

IX. Confirmatur hoc diſcurſu. Nulla ſpecies, ſive ſenſibilis, ſive intelligibilis in ratione ſpeciei uniri poteſt, niſi potentiæ habenti ſufficientem virtutem, ut media tali ſpecie eliciat cognitionem: etenim ſpeciem uniri in ratione ſpeciei, nihil aliud eſt, quam uniri in ratione repræſentantis objectum, quod conſtat repræſentari non poſſe, niſi potentiæ habenti ſufficientiam ad illud percipiendum; ſed virtutem ſufficientem ad hoc, ut videat per divinam eſſentiam ſic unitam Deum in ſe, intellectus creatus ex ſe non habet, ergo indiget diſponi per aliquid ſupra ſe; & hoc eſt lumen gloriæ.

X. Neceſſitas vero luminis gloriæ ad ſecundum probatur: quia intellectus humanus, ſive creatus, non poteſt viribus naturæ viſionem beatificam elicere, ſed eget viribus ſuperioribus gratiæ, ut contra Beguardos ſtatutum eſt; ſed hujuſmodi vires gratiæ, ſeu virtus, qua intellectus creatus fit potens elicere viſionem Dei, vocatur, & eſt lumen gloriæ; ergo &c.

XI. Probatur inſuper ratione ex D. Th. 3. *contra Gentes cap.* 52. quam ſupra expendimus *quæſt.* 1. *dub.* 1. §. 3. quæ huc revocanda eſt.

Et præterea hoc diſcurſu. Omnis potentia, quæ ex ſe, & ex ſua natura eſt inſufficiens, & improportionata ad aliquem actum eliciendum, & objectum conſpiciendum, indiget corroborari, & elevari per aliquid, quo fiat proportionata, & potens talem actum elicere; ſed intellectus creatus ex natura ſua eſt inſufficiens ad videndum Deum, ut ſupra notatum eſt; ergo indiget aliqua virtute ſuperaddita quam lumen gloriæ vocamus.

§. III.

Solutio Objectionum.

XII. OBjiciunt primo, probando, lumen gloriæ non eſſe neceſſarium tamquam diſpoſitionem ad unionem cum eſſentia divina ſic. Lumen gloriæ eſt aliqua forma ſupernaturalis, & tamen ad illud recipiendum nulla prærequiritur diſpoſitio in intellectu, ſed ſufficit ſola potentia obedientialis. Item ſubſiſtentia Verbi eſt forma ſupernaturalis, & tamen immediate, & abſque ulla diſpoſitione unitur naturæ humanæ in Chriſto. Ergo quamvis eſſentia divina in ratione formæ intelligibilis ſit ſupernaturalis, & excedat naturam mentis creatæ, poterit ei uniri in ratione ſpeciei abſque ulla diſpoſitione; ergo ex hoc capite non eſt neceſſarium lumen gloriæ.

XIII. Reſpondeo, diſting. anteced. eſt aliqua forma vitalis, concedo anteced. ultima, nego antecedens. Inter formas, etiam ſupernaturales, aliæ ſunt formæ viales, non ultimæ, ſed ad alias ordinatæ, & iſtæ non petunt alias diſpoſitiones ejuſdem ordinis, alias daretur proceſſus in infinitum, ſed immediate recipiuntur in potentia obedientiali paſſiva: aliæ ſunt formæ ultimæ, ad quas formæ illæ viales ordinantur, tamquam ad terminum, & complementum, & iſtæ exigunt neceſſario, ſubjectum prævie diſponi, ut ſit capax illarum. Cum ergo lumen gloriæ ſit forma vitalis, & ordinata per modum diſpoſitionis ad præparandum intellectum ad aliam formam principalem, nempe ad divinam eſſentiam uniendam intellectui per modum formæ intelligibilis, ideo licet ad iſtam prærequiratur, intellectum diſponi per lumen gloriæ, ut tamen lumen gloriæ ſuſcipiat, nulla prærequiritur in intellectu diſpoſitio. Hujus aptiſſimum exemplum habemus in primo auxilio, ſeu prima vocatione ad gratiam, & in ipſa gratia ſanctificante: illud enim, quia eſt primum, operatur Deus in nobis ſine nobis, ideſt ſine noſtra præparatione, & prævia diſpoſitione: gratia tamen ſanctificans, quia eſt terminus, & complementum ordinis ſupernaturalis: ſine prævia cooperatione, & diſpoſitione, & ſine Spiritu Sancto cor movente per actus præcedentes ad illam, recipi non poteſt. Idem exemplum petere poſſumus ex naturalibus, ubi ad formam dantur diſpoſitiones, ad diſpoſitiones autem, maxime ad primam, nulla diſpoſitio requiritur.

XIV. Ad ſecundum exemplum de Subſiſtentia divina dico, diſparitatem eſſe, quia unio hypoſtatica fit per elevationem naturæ humanæ ad ſubſiſtentiam, & exiſtentiam divini Verbi: ad hoc autem ut aliqua natura ſuſcipiat eſſe, & ſubſiſtere, nulla præſupponitur diſpoſitio, quia eſſe, & ſubſiſtere eſt primum, quod in natura recipitur. Sed ut mens creata uniatur cum eſſentia Divina in ratione ſpeciei ipſi repræſentantis Deum videndum, oportet, ut ſupponatur ex parte potentiæ diſpoſitio ad talem viſionem, quia ſpecies impreſſa non repræſentat objectum, niſi ſupponat in potentia virtutem ad illud percipiendum.

XV. Hinc ſolvitur alia inſtantia, quæ ſolet fieri: nimirum, quod eſſentia divina poſſit ſe ipſa, & ſui unione reddere proportionatum abſque lumine creato intellectum ad viſionem.

XVI. Nam dico, hoc falſum eſſe: ſpecies enim impreſſa repræſentans objectum, non dat virtutem potentiæ ad illud percipiendum, ſed illam ſupponit: ut patet in eo, qui habet potentiam viſivam debilem, vel læſam: nam quantumcumque ſpecies viſibiles objecti perfectæ, & efficaces ponantur in oculo, non ſanatur, neque confortatur oculus, & viſus, ſed obruitur potius. Et apparet etiam in elicientia actus fidei, nam etſi homo habeat ſpecies, objecta credenda ei repræſentantes, hoc non ſufficit, ut eliciat actum fidei circa illa, niſi in eo ſupponatur, vel habitus fidei, vel auxilium ad credendum. Unde ſuperius dicebamus cum Div. Thoma 1. *part. quæſt.* 12. *artic.* 2. quod *ad viſionem, ſive ſenſibilem, ſive intellectualem, duo requiruntur, ſcilicet virtus viſiva, & unio rei viſæ cum viſu . . . & ſi autem eſſet una, & eadem res, quæ eſſet principium viſivæ virtutis, & quæ eſſet res viſa, oporteret, videntem, ab illa re & virtutem viſivam habere, & formam, per quam videret.* Ex quo concludit, quod Deus, cum in viſione beata ſit principium intellectivæ virtutis, & res viſa, oportet, ut ab eo derivetur lumen quoddam ex parte potentiæ, & quod ex parte rei viſæ, cum nulla ſimilitudo creata id præſtare poſſit, ipſa divina eſſentia per ſeipſam uniatur.

XVII. Objiciunt ſecundo. Ideo requireretur lumen gloriæ, ut redderet intellectum creatum proportionatum ad videndum Deum; ſed hæc ratio non evincit; ergo &c. Minor probatur. Lumen gloriæ eſt finitæ virtutis, improportio autem, quæ eſt inter intellectum creatum, & Deum, eſt infinita; ſed improportio, & diſtantia infinita non poteſt tolli per virtutem finitam; ergo &c.

XVIII. Reſpondeo, nego min. ac prob. diſt. ſecundam partem maj. improportio inter intellectum creatum, & Deum, ut videndum infinito modo, & comprehenſive, eſt infinita, conc. major. ut videndum ſolum quidditative, nego major. Eſto igitur inter intellectum creatum, & Deum infinito modo, & comprehenſive viſibilem ſit infinita improportio, quæ vinci non poteſt per lumen finitum: attamen inter intellectum creatum, & Deum, ut viſibilem ſolum finito modo, & quidditative non eſt improportio infinita ſimpliciter, ſed ſola improportio ordinis, quia ſcilicet intellectus creatus eſt in ordine naturali, & Deus, ut quidditative viſibilis, eſt in ordine ſupernaturali. Cum ergo intellectus creatus per lumen elevetur ad ordinem ſupernaturalem, inde eſt, ut fiat proportionatus cum Deo, ut quidditative viſibili, quia ut ſic continetur ſub ſphæra eſſentiali ſui objecti adæquati.

XIX. Objiciunt tertio, Virtus confortans potentiam vitalem debet eſſe vitalis; ſed lumen gloriæ, cum ab extrinſeco proveniat, non eſt vitale; ergo &c.

XX. Reſpondetur, diſt. maj. eſſe vitalis, egreſſive, nego maj. connexive, & inhæſive, conc. maj. & ſimiliter diſtincta min. nego conſeq. Dupliciter aliqua virtus poteſt eſſe vitalis, vel egreſſive, quia egreditur a principiis intrinſecis ipſius viventis, & hoc modo eſt vitalis virtus naturalis intellectus, quæ egreditur, ac fluit ab anima. Alio modo dicitur vitalis connexive, ſive inhæſive, quia, eſto ab extrinſeco procedat, eſt tamen ordinata ad elevandam potentiam vitalem ad altiorem vitam, eique intrinſece inhæret. Lumen gloriæ eſto

non

non ſit vitale egreſſive (ſi enim egrederetur ab anima, non poſſet elevare intellectum ad viſionem Dei) eſt tamen vitale connexive, elevative, & inhæſive, quia eſt ordinatum ad elevandum, & de facto intrinſece elevat intellectum ad altiorem vitam, nempe ad viſionem ſupernaturalem.

XXI. Objici poteſt quarto. Cum Deus videtur per medium, non videtur per ſuam eſſentiam; ſed cum videtur per aliquod lumen creatum, videtur per medium; ergo non videtur per ſuam eſſentiam.

XXII. Reſpondeo diſt. maj. per medium *in quo*, conc. maj. per medium *quo*, vel *ſub quo*, nego maj. Ita reſpondet Sanctus Thomas 1. *part. quæſt.* 12. *art.* 5. *ad* 2. *Lumen* (inquit) *iſtud non requiritur ad videndum Dei eſſentiam, tamquam ſimilitudo, in qua Deus videatur: ſed quaſi perfectio quædam intellectus confortans ipſum ad videndum Deum. Et ideo poteſt dici, quod non eſt medium, in quo Deus videatur, ſed ſub quo videtur: & hoc non tollit immediatam viſionem Dei.*

XXIII. Objici poteſt quinto. Quod eſt per ſe lucidum in rebus ſenſibilibus, non indiget alio lumine, ut videatur; ergo nec in intelligibilibus; ſed Deus eſt lux intelligibilis; ergo non videtur per aliquod lumen creatum.

XXIV. Reſpondetur cum D. Thoma loco citato ad primum, *quod lumen creatum eſt neceſſarium ad videndum Dei eſſentiam, non quod per hoc lumen Dei eſſentia intelligibilis fiat, quæ ſecundum ſe intelligibilis eſt; ſed ad hoc, quod intellectus fiat potens ad intelligendum per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum. Sicut etiam & lumen corporale neceſſarium eſt in viſu exteriori, in quantum facit medium tranſparens in actu, ut poſſit moveri a calore.*

D U B I U M II.

An ſaltem de potentia Dei abſoluta poſſit intellectus creatus ſine lumine gloriæ videre Deum.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. SCotiſtæ, & alii extra Scholam D. Thomæ cenſent, intellectum creatum elevari poſſe ad videndum Deum per ſolum lumen objectivum, ſeu concurſum omnino extrinſecum Dei abſque ullo lumine intrinſeco, vel habituali, & permanente, vel actuali, & tranſeunte. Attamen

II. Impoſſibile omnino eſt, etiam ſpectata potentia Dei abſoluta, ut intellectus videat Deum ſine lumine gloriæ intrinſeco, vel habituali, vel actuali. Probatur. Tum quia conformius eſt ſtatutis in Concilio Viennenſi, ubi, ut ſupra diximus, damnantur Beguardi, quod dicerent, ad videndum Deum neceſſarium non eſſe lumen. Tum etiam ratione ſic.

Impoſſibile eſt, quod intellectus de ſe impotens videre Deum, manens impotens, Deum videat, alioquin ab actu ad potentiam non valeret conſequentia, & conſequenter eſſet videns, ut ſupponitur, & non videns, quia impotens ad videndum; atqui intellectus ſine ullo lumine ipſi intrinſeco eſt intellectus adhuc manens impotens; ergo &c. Major patet. Minor vero probatur. Intellectus ſine ullo lumine ipſum intrinſece confortante eſt intellectus, ut antea, ideſt habens ſolam ſuam virtutem naturalem; ſed ſecundum ſuam virtutem naturalem eſt impotens, ut ſuperius probatum eſt; ergo &c.

III. Dices, intellectum tunc habiturum aſſiſtentiam Dei extrinſecam, concurſum Dei ſimultaneum, & divinam eſſentiam ſibi unitam per modum ſpeciei, & per modum luminis, & per iſta fieri potentem.

IV. Sed contra primum ſic. Vel ex illa ſpeciali Dei aſſiſtentia derivatur in intellectum aliqua virtus intrinſeca, vel non; Si primum: habemus intentum, nam talis virtus intrinſece derivata erit quædam participatio divini luminis, ſive per modum habitus, ſive per modum auxilii tranſeunter communicati. Si vero ſecundum; ergo intellectus manebit, ſicut antea impotens. Quod probo. Impoſſibile enim eſt, quod id, quod erat intrinſece impotens ad aliquid, fiat potens, niſi intrinſece mutetur, ſi enim non mutetur, manebit ſicut antea, & ſic cum antea eſſet impotens, erit impotens poſtea. Sicut oculus læſus, vel debilis intrinſece impotens videre lucem magnam, niſi intrinſece ſanetur, aut confortetur, manebit ſemper impotens, nec quacumque extrinſeca aſſiſtentia poſita unquam videbit. Et ſicut aqua, quæ, quia eſt impotens calefacere; niſi intrinſece mutetur, & fiat calida, nunquam calefaciet. nec poterit calefacere.

V. Contra ſecundum ſic. Cauſa non poteſt conſtitui in actu primo potens per id, quo ſe tenet ex parte actus ſecundi, quia actus primus præcedit actum ſecundum prioritate naturæ; ſed concurſus ſimultaneus ſe tenet ex parte actus ſecundi: eſt enim actio cauſæ ſecundæ, pro ut a Deo ſimul operante cum ipſa; ergo implicat, quod intellectus creatus fiat potens videre Deum per concurſum ſimultaneum: hic enim ſupponit, cauſam poſſe agere, dum cum ea agente concurrit; quod cum negetur, probandum erat.

VI. Contra tertium ſic. Lumen gloriæ duo facit: conſtituit enim intellectum in eſſe ſupernaturali, & eſt illi principium *quo* proximum videndi Deum; ſed eſſentia divina non poteſt uniri alicui creato per modum formæ dantis eſſe, & per modum principii *quo* operandi: ergo &c. Major patet, quia ſicut intellectus per propriam, & nativam virtutem conſtituitur in eſſe naturali, & operativo in ordine naturali, ita per lumen gloriæ conſtituitur in eſſe ſupernaturali, & operativo in tali ordine. Minor vero probatur. Tum quia eſſentia divina non poteſt eſſe forma dans eſſe in ordine naturali, & principium *quo* agendi in tali ordine: quare uniri non poteſt per modum animæ, & facere, quod facit anima, dando eſſe naturale, & per modum principii *quo* radicando operationes; ergo neque poterit id præſtare in ordine ſupernaturali; unde in Chriſti anima ponitur gratia habitualis creata, ut ſit illi principium *quo* operandi in ordine ſupernaturali. Tum etiam, & a priori. Nam forma, quæ unitur per modum dantis eſſe, & operari; non poteſt uniri, niſi vel per identitatem, vel informationem: unitur enim per modum conſtituentis unum principium *quod*. Inſuper principium *quo* agendi debet recipi in principio *quod*, eique ſubordinari, ut patet diſcurrenti per ſingula, ſed eſſentia divina non uniretur intellectui creato per identitatem, quia ſic ſoli intellectui divino uniri poteſt; ergo uniretur ei per informationem &c. Quæ omnia eſſentiæ divinæ completiſſimæ repugnant.

§. II.

Solutio Objectionum.

VII. OBjiciunt primo. Poſito intellectu creato, & aſſiſtentia Dei cum eo concurrentis, habetur principium adæquatum viſionis: habetur enim principium vitale, nempe intellectus, & principium ſupernaturale, nempe Deus; ergo &c.

VIII. Confirm. Licet Deus ſe ſolo non poſſit producere viſionem, neque intellectus ſe ſolo, tamen conjunctum hoc ex Deo, & intellectu creato poteſt viſionem Dei producere; ergo &c. Antecedens probatur. Licet ex duobus trahentibus navem quilibet ſeorſim ſumptus ſit impotens, conjunctum tamen ex utroque eſt potens trahere navem; ergo &c.

IX. Reſpondetur, diſt. antecedens, habetur conjunctum modo debito, & ſufficienti ad eliciendam viſionem, nego antecedens, modo indebito, & ſufficienti, concedo antecedens. Itaque, ſi ponatur conjunctum, ex intellectu, & Deo ſolum extrinſece adjuvante, & adſiſtente, habebitur quidem principium ſupernaturale, & principium vitale remotum, & improportionatum, non autem ſufficiens ad viſionem, niſi ei addantur vires tales, quibus proxime viſionem elicere poſſit. Cum enim intellectus creatus ſuapte natura non habeat vires ſufficientes, neque partiales, ut dicemus, ad producendum viſionem, (quia licet ſit principium vitale, eſt tamen vitale vitalitate inferioris ordinis, nempe naturalis) niſi ad altiorem ordinem, & virtutem intrinſece elevetur, non poterit actionem vitalem, ſupernaturali vitalitate, qualis eſt viſio Dei per eſſentiam elicere. Et cum ex alia parte aſſiſtentia Dei, utpote extrinſeca, non det intellectui vires, quibus fiat potens videre Deum: ideo quamvis Deus illi aſſiſtat, & coadjuvet, nunquam faciet, ut videat Deum. Sicut quia aqua ex natura ſua non habet vires ad calefaciendum, ſi illi non det calorem, quo fiat potens calefacere: quamvis illi extrinſece aſſiſtat Deus, nunquam verificabitur, quod aqua calefaciat, ſeu calorem producat, ſed potius Deus ad præſentiam aquæ. Ita in caſu.

X. Ad confirmat. nego pariter antecedens: ad cujus probat. conceſ. antecedenti, nego conſequentiam. Et diſparitas eſt. Primo, quia quilibet trahens navem, virtutem habet partialem ad tractionem navis, ideoque, ſi invicem conjungantur, trahent navem. At intellectus ex propriis nullam habet virtutem proximam ad Dei viſionem, & ideo quamvis illis conjungatur Deus, niſi ei det virtutem, ut poſſit illam producere, nunquam producet. Immo exemplum retorqueo pro me. Licet enim ex duobus habentibus partialem virtutem ad trahendam navem, ſi uniantur, poſſit navis trahi: ſi tamen unus habens virtutem partialem trahendi, conjungatur cum altero nullam habente virtutem ad trahendam navem, navis nunquam trahetur; ſed intellectus, ut dicemus, nullam ex propriis virtutem habet proximam ad videndum Deum; ergo quamvis illi extrinſece jungatur Deus, nunquam producet viſionem.

Addo aliam diſparitatem, quia tractio illa navis diviſibilis eſt, & ideo partim uni, partim alteri reſpondet: non enim verificatur de uno illorum, quod trahit navem, ſed quod ambo ſimul trahunt navem. At tota viſio correſpondet intellectui, non verificatur, quod intellectus, & Deus vident, ſed quod intellectus videt Deum: quomodo autem viſio poſſet abſolute tribui intellectui, ſi non haberet vires ad videndum Deum?

XI. Et hic placet tollere æquivocationem, qua forte laborabat contraria ſententia. Putat enim, quod intellectus, & lumen ſint duo concurrentes, ſicut duo trahentes navem; quod falſum eſt: non enim intellectus videt una cum lumine gloriæ, ſed mediante lumine gloriæ, & per lumen gloriæ; ſicut diaphanum non illuminat una cum luce, ſed mediante luce, & per lucem. Unde concurſus luminis, & intellectus ad viſionem non ſunt duo concurſus duarum cauſarum partialium, ſed unus, nempe intellectus videntis ut *quod* & luminis tamquam *rationis videndi;* Principii autem *quo*, & *quod* unus eſt concurſus, ſicut unus eſt concurſus Solis, & lucis ad illuminandum, quia Sol illuminat per lucem. Et hoc eſt bene notandum.

XII. Objicies ſecundo. Deus poteſt ſe ſolo facere id, quod facit cum cauſa creata; ſed medio lumine creato poteſt producere viſionem; ergo ſe ſolo eam producere poteſt.

XIII. Reſpondeo, diſt. maj. cum cauſa creata efficiente, conc. maj. cum cauſa creata, quæ ſit cauſa formalis, nego maj. Deus certe poteſt ſe ſolo facere quidquid agit cauſa creata efficiendo, ſed non poteſt facere, ut effectus aliquis producatur ab aliqua cauſa, niſi habeat, vel det illi virtutem ad illum producendum: verb. gr. poteſt Deus producere lucem,

& mun-

& mundum illuminare ſine Sole, non tamen poteſt facere, ut Sol illuminet ſine luce, aut ſine virtute ad illuminandum. Sic dato, quod Deus poſſet ſe ſolo viſionem producere, non tamen poteſt facere, ut intellectus creatus viſionem producat, niſi habeat, vel illi det virtutem ad eam producendam.

XIV. Objicies tertio. Poteſt divina eſſentia uniri intellectui beato per modum ſpeciei impreſſæ, ut diximus: ergo poterit etiam cum illo uniri per modum luminis, illum elevando, & confortando.

XV. Reſpondetur, negando conſequentiam. Et diſparitas eſt. Species enim intelligibilis non eſt virtus potentiæ, ſed eſt virtus objecti, nec eſt id, quod intellectus videt, ſed quo objectum conjungitur potentiæ, eamque ad ſui cognitionem fœcundat, quia ex objecto, & potentia paritur notitia; quapropter ex hoc, quod eſſentia divina in ratione ſpeciei conjungatur cum intellectu creato, ſequitur, quod conjungatur, tamquam conprincipium viſionis, non informans, nec dependens ab intellectu, ſed potius intellectum ſpecificans, & trahens ad eſſe intelligibile divinum. At ſi divina eſſentia eſſet id, quo intellectus videt, deberet neceſſario ei conjungi, tamquam forma informans, & ei ſubordinari. Et ſicut propter hoc nequit Deus gerere munus animæ in homine, munus lucis in Sole, ita nec munus luminis in intellectu.

§. III.

Mens Divi Thomæ.

XVI. NON abs re mentem S. Thomæ ſtatuimus pro hac noſtra aſſertione declarare, quia non deſunt unus, vel alter ex ejus Diſcipulis, qui a cæterorum choro reſiliant dicentes, Angelicum Præceptorem ſolum velle, quod lumen gloriæ creatum requiratur in intellectu connaturaliter, non vero eſſentialiter, inter quos Sylvius in 1. *part. quæſt.* 12. *art.* 5. etſi videatur ſolum velle, non requiri eſſentialiter lumen habitualiter communicatum: quod & nos concedimus, dummodo omne intrinſecum, per modum etiam auxilii, & tranſeuntis, non excludatur.

XVII. Suam opinionem conatur probare Sylvius ex D. Thoma in 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 2. *art.* 7. *ad* 4. ubi loquens S. Doctor de Moyſe, qui vidit ante mortem Deum per eſſentiam, ait, quod *illa viſio non erat ex diſpoſitione in intellectu exiſtente, ſed ex ſola divina virtute.* Et in corpore ibi dixerat: *poteſt miraculoſe fieri, quod divina virtute aliquis intellectus creatus non habens niſi diſpoſitionem viæ, elevetur ad videndum Deum per eſſentiam.* Et quæſt. 10. de veritate artic. 11. *Sicut autem* (inquit) *divinæ omnipotentiæ ſubjecta ſunt corpora, ita & mentes. Unde ſicut poteſt aliqua corpora perducere ad effectus, quorum diſpoſitio in prædictis corporibus non invenitur; ſicut Petrum fecit ſuper aquas ambulare ſine hoc, quod ei dotem agilitatis tribuerit; ita poteſt mentem ad hoc perducere, ut divinæ eſſentiæ uniatur in ſtatu viæ modo illo, quo unitur ſibi in Patria ſine hoc, quod a lumine gloriæ perfundatur.*

Et horum ratio eſſe poteſt, quia lumen gloriæ requiritur tamquam diſpoſitio ad unionem cum eſſentia divina; ſed diſpoſitio connaturaliter quidem requiritur, ut ſubjectum uniatur cum forma, non tamen eſſentialiter: unde poteſt Deus in ſubjecto diſpoſito virtute ſua formam introducere; ergo &c.

Sic etiam actus Fidei, & caritatis connaturaliter quidem petunt fieri per habitus, abſolute tamen elici poſſunt a nondum habentibus tales habitus, ut patet in Catechumenis, & pœnitentibus, nondum juſtificatis; ergo &c.

XVIII. Hæc tamen non obſunt. Nam quoad mentem Sancti Thomæ dubitandum non eſſe, colligo ex diſcurſu ejuſdem Sancti Doctoris 3. *contra Gentes c.* 53. ubi ſic loquitur: *Nihil poteſt ad altiorem operationem elevari, niſi per hoc, quod ejus virtus fortificetur. Contingit autem dupliciter alicujus virtutem fortificari. Uno modo per ſimplicem ejus virtutis intenſionem, ſicut virtus activa calidi augetur per intentionem caloris, ut poſſit efficere vehementiorem actionem in eadem ſpecie. Alio modo per novæ formæ appoſitionem, ſicut diaphani virtus augetur ad hoc, ut poſſit illuminare, per hoc, quod fit lucidum actu per formam lucis receptam in ipſo de novo: & hoc quidem virtutis augmentum requiritur ad alterius ſpeciei operationem conſequendam. Virtus autem intellectus creati naturalis non ſufficit ad divinam ſubſtantiam videndam. Ergo oportet, quod augeatur ei virtus ad hoc, quod ad talem viſionem perveniat. Non ſufficit autem augmentum per intenſionem naturalem virtutis, quia talis viſio non eſt ejuſdem rationis cum viſione naturali intellectus creati; quod ex diſtantia viſorum patet. Oportet igitur, quod fiat augmentum virtutis intellectivæ per alicujus novæ diſpoſitionis adeptionem.* Quibus verbis clarius non poterat S. Doctor noſtram ſententiam firmare, & rationem pro ea tuenda, & pro Adverſariorum evertendis fundamentis exhibere.

XIX. Neque obſtant ea, quæ ex eodem S. Doctore in contrarium adducta ſunt. Quod enim in 4. *ſent.* de Moyſe, ait, *quod illa viſio non erat ex diſpoſitione in intellectu exiſtente, ſed ex virtute divina,* non excludit omne intrinſecum, etiam per modum tranſeuntis auxilii, Moyſi collatum; ſed ſolum diſpoſitionem permanentem, & extrahentem Moyſen a ſtatu viæ. Mens enim S. Doctoris erat, ibi oſtendere, quod aliquis adhuc manens in ſtatu viæ poſſit tranſeunter videre Deum. Quod indicant, quæ ait ibi in corpore: *poteſt miraculoſe fieri, quod divina virtute aliquis intellectus creatus non habens niſi diſpoſitionem viæ elevetur &c.*

Idem ſentit S. Doctor in loco citato ex *quæſt.* 10. *de veritate.* Quod indicat exemplum D. Petri ambulantis ſuper aquas: quia ſicut Deus fecit illum ambulare ſuper aquas abſque eo, quod illi conferret dotem agilitatis, quæ eſt dos permanens corporis glorioſi; ita poteſt aliquem in ſtatu viæ, & dote luminis gloriæ (ut habet Beatus) per modum habitus nondum donatum elevare ad actum viſionis ſui, non excludens tamen quodcumque donum etiam tranſeunter, & per modum auxilii ad actum viſionis eliciendum illi collatum.

XX. Porro quod hæc ſit genuina S. Thomæ mens, ipſe teſtatur: tum 2. 2. *quæſt.* 175. *art.* 3. *ad* 2. cujus verba ſupra retulimus *quæſt.* 2. *dub.* 1. §. 3. tum ex 1. *ad Cor. c.* 12. *lect.* 1. ubi hæc habet: *Sciendum eſt autem, quod viſio per eſſentiam fit per lumen aliquod, ſcilicet per lumen gloriæ, de quo dicitur in Pſalm.* In lumine tuo videbimus lumen. *Sed aliquod lumen communicatur alicui per modum paſſionis, alicui vero per modum formæ inhærentis, ſicut lumen Solis invenitur in carbunculo, & in ſtellis, ut forma inhærens: ideſt connaturalis effecta; ſed in aere invenitur, ut forma tranſiens, & non permanens, quia tranſit, abeunte Sole. Similiter & lumen gloriæ dupliciter menti infunditur. Uno modo per modum formæ connaturalis factæ, & permanentis: & ſic facit mentem ſimpliciter beatam; & hoc modo infunditur Beatis in Patria, & ideo dicuntur Comprehenſores, & ut ita dicam, Viſores. Alio modo contingit lumen gloriæ mentem humanam, ſicut quædam paſſio tranſiens, & ſic mens Pauli fuit in raptu lumine gloriæ illuſtrata; unde etiam ipſum nomen* raptus *oſtendit, tranſeundo hoc eſſe factum; & ideo non fuit ſimpliciter glorificatus, nec habuit dotem gloriæ, cum illa claritas non fuerit effecta proprietas &c.* Quibus mens Sancti Doctoris adeo apparet, ut nullus de ea ſcrupulus ſupereſſe poſſit.

XXI. Ad id, quod additur, lumen gloriæ eſſe diſpoſitionem, & ideo ſolum connaturaliter requiri: ſciendum, quod diſpoſitio eſt duplicis generis. Alia eſt, quæ datur ſolum ad tollendas qualitates contrarias impedientes receptionem formæ, quæ alias non excedit proportionem ſubjecti, ſicut frigidum, & humidum impediunt, ne lignum ſtatim ſuſcipiat formam ignis. Et iſta ſolum connaturaliter requiritur: poteſt enim Deus miraculoſe illas diſpoſitiones contrarias efficienter tollere, & reddere ſubjectum, ablato obice, immediate capax formæ. At alia eſt diſpoſitio, quæ ſe habet tamquam medium neceſſario prærequiſitum, ut ſubjectum fiat proxime capax formæ, ad quam utpote excedentem ſuam naturam eget proportionari. Cujus generis in ſententia S. Thomæ eſt forma ſubſtantialis, quæ requiritur, ut medium ad hoc, quod materia fiat immediate capax exiſtentiæ: & generaliter actus primus in quacumque potentia ſive activa, ſive paſſiva, ad actum ſecundum illi correſpondentem. Et hujuſmodi diſpoſitio eſſentialiter requiritur, nec ſuppleri poteſt, quia eſſentialiter repugnat in ſubjecto improportionato, dum manet tale, formam recipi. Talis autem generis eſt lumen gloriæ: Cum enim intellectus creatus ſecundum ſua naturalia ſit impotens ad viſionem, niſi tollatur hæc impotentia (quæ, ut probatum eſt, non poteſt tolli, niſi per lumen, ſive per modum permanentis, ſive tranſeuntis communicatum) nunquam ad viſionem Dei eliciendam perveniet.

Eodem modo reſpondeo ad id, quod dicitur de actibus Spei, & Charitatis, niſi enim Voluntas a Spiritu Sancto movente cor per intrinſecum auxilium roboretur, nunquam præfatos actus, ut oportet, elicit, aut elicere poterit; & hoc Catechumenis, vel peccatoribus adeſſe ſuſtinemus, dum per hos actus ad juſtificationem diſponuntur. Quæ eſt doctrina Trid. *ſeſſ.* 8. *c.* 5. & 6.

DUBIUM III.

An intellectus creatus propria, & nativa virtute ſaltem partialiter proxime influat in Viſionem Dei, an vero tota virtus proxima habeatur a Lumine Gloriæ.

§. I.

Quibuſdam prænotatis referuntur ſententiæ.

I. NON dubitamus hic, an intellectus ſit, qui videt Deum, & qui influit in viſionem: hoc enim ſupponimus. Sed cum in intellectu creato vidente Deum ſit ejus virtus naturalis, & ingenita, & ſit etiam lumen gloriæ, quo elevatur ad viſionem eliciendam; quærimus, an quando intellectus elicit viſionem, operetur aliquid erga illam immediate propria virtute, an vero unica virtus, qua in viſionem proxime agit, & unica ratio totalis proxima videndi Deum, ſit lumen gloriæ.

II. Suppono etiam, intellectum creatum, ſaltem mediate, & remote ſecundum ſua naturalia concurrere ad viſionem: eſt enim ſuapte natura elevabilis ad videndum Deum, tamquam quid contentum intra ſphæram eſſentialem ſui objecti, unde difficultas reducitur ad indagandum, an etiam ſua nativa virtute influat proxime, & immediate, taliter, ut intellectus ſua virtute, & lumen gloriæ, ſint veluti duæ cauſæ immediate partialiter concurrentes ad viſionem.

III. Scotus cum exteris affirmat, volens, intellectum creatum concurrere ad viſionem Dei ſaltem partialiter, & conſequenter lumen gloriæ non eſſe totam, ſed partialem virtutem videndi Deum. Pro quo notat, dupliciter aliquas cauſas dici poſſe partiales. Uno modo partialitate cauſæ, & etiam partialitate effectus, ita ut pars effectus correſpondeat uni, & alteri, ſicut duo portantes lapidem, quorum neuter ſe ſolo ſufficiat portare totum pondus, ſunt cauſæ partiales, partialitate tum cauſæ, tum effectus, quia unuſquiſque portat tantum de pondere, quantum poteſt, & non amplius. Alio modo partialitate cauſæ, non vero partialitate effectus, quia totus quidem effectus ab utraque eſt, attamen una influit in illum

illum ſub una ratione, & altera ſub alia. Ita dicunt, intellectum creatum, & lumen gloriæ eſſe cauſas partiales: quia licet tota viſio correſpondeat immediate intellectui, & tota lumini; Intellectus tamen concurrit ad illam ſub ratione vitalis, & lumen ſub ratione ſupernaturalis. Ex quo inferunt, lumen gloriæ addere intellectui virtutem ſolum partialem, ut ſcilicet cum illo intellectus influat in viſionem, ut ſupernaturalem.

Thomiſtæ autem uno ore dicunt, in intellectu, ſecluſo lumine gloriæ, nullam eſſe vim ad viſionem Dei, niſi tantum radicalem, & remotam, & totam vim proximam accipere a lumine gloriæ. Cum his ergo

§. II.

Statuitur aſſertio.

IV. DIco. Eſto Intellectus ſit, qui proxime, & immediate videt Deum, tota tamen ratio, & virtus proxima videndi eſt lumen gloriæ: ita, ut intellectus propria, & nativa virtute proxime non concurrat, adhuc partialiter.

Probatur primo ſic. Intellectus creatus propria virtute nequit immediate concurrere ad viſionem, quatenus ſupernaturalis eſt, ut ajunt Scotiſtæ; ergo neque poteſt propria virtute concurrere ad illam, quatenus actio vitalis eſt. Conſequentia probatur. Vitalitas, quæ eſt in viſione, ſupernaturalis eſt; ergo ſi &c. Antecedens probatur. Quotieſcumque conceptus ſpecificus alicujus rei eſt ſupernaturalis, gradus genericus, & alii in eo incluſi, ſupernaturales ſunt, ſeu in ordine ſupernaturali collocantur: ſicut quotieſcumque conceptus ſpecificus alicujus rei ſpiritualis eſt, omnes gradus in illo incluſi ſpirituales ſunt: & ita virtus, quæ non poteſt producere effectum, quatenus ſpiritualis eſt, neque poteſt producere illum, quatenus intellectus, ſeu quatenus ſubſtantia eſt; ſed gradus ſpecificus viſionis Dei eſt ſupernaturalis; ergo & ſupernaturalis erit vitalitas; ergo qui non poteſt concurrere ad viſionem, ut ſupernaturalis eſt, nec poterit ad illam concurrere, ut vitalis eſt.

V. His prævenitur evaſio Scotiſtarum dicentium, viſionem totam eſſe ab intellectu, totam a lumine: ſed dici vitalem præciſe, quia eſt a principio vitali, quod eſt intellectus, & dici ſupernaturalem, quia eſt a principio ſupernaturali, quod eſt lumen.

Nam contra eſt. Vel enim viſio dicitur vitalis, quia procedit ab intellectu agente ſecundum nativam virtutem, vel quia procedit ab intellectu agente ſecundum virtutem acceptam a lumine, ſeu ut elevato per lumen. Si dicatur primum, redit argumentum factum, quia, cum vitalitas viſionis ſit ſupernaturalis, nequit, etiam ut vitalis, reſolvi in principium naturale agens virtute naturali. Si vero dicatur ſecundum; ergo viſio ut vitalis non reſolvetur immediate in virtutem nativam intellectus, ſed mediante lumine ipſum elevante; & ſic tota ratio proxima, quare intellectus influat in viſionem, etiam ut vitalem, erit intellectus ratione luminis.

VI. Probatur ſecundo, excludendo concurſus partiales. In tantum tractio navis partialiter eſt a duobus trahentibus, quia tractio non tota uni correſpondet, ſed partialiter uni, & partialiter alteri; ſed viſio tota correſpondet intellectui lumine perfuſo: intellectus enim lumine perfuſus eſt, qui videt Deum, non autem intellectus, & lumen, ſeu cum lumine, vident Deum; ergo ex intellectu, & lumine unito indiviſibilis concurſus fit, ſicut ex principio *quod*, & principio *quo*, & tota viſio erit ab intellectu, ut principio *quod*, & tota a lumine, ut principio *quo*: ſicut tota illuminatio eſt a Sole, ut ab eo, quod illuminata, & tota a luce, ut ab eo, quo Sol illuminat.

VII. Confirmatur. Ex cauſis partialibus una non perficit aliam, nec una accipit virtutem ab alia, ſed ambæ ſuas virtutes jungendo ex æquo ad eumdem effectum concurrunt, ut patet in duobus portantibus partialiter pondus; ſed intellectus non concurrit ex æquo cum lumine ad viſionem; ſed perficitur, & accipit virtutem a lumine; ergo intellectus, & lumen non ſunt duæ cauſæ partiales, ſed potius dicendæ eſſent duæ cauſæ ſubordinatæ, quarum una completur, nempe intellectus, & accipit virtutem a lumine, & non e converſo.

VIII. Quamobrem D. Thomas *opuſc.* 2. *cap.* 23. ubi quærit, an, & quomodo creatura cooperatur Creatori, an eo modo, *quo dicitur de duobus portantibus aliquod pondus, vel de pluribus trahentibus navem?* Reſpondet, quod hoc modo *creatura Creatori non cooperatur.* Et hac. 1. *p. q.* 23. *art.* 5. non approbat opinionem illorum, qui *videntur diſtinxiſſe inter id, quod eſt ex gratia, & id, quod eſt ex libero arbitrio,* aſſerens, *non eſt autem diſtinctum, quod eſt ex libero arbitrio, & prædeſtinatione*; atqui ſententia oppoſita diſtinguit in viſione beata inter id, quod eſt ex libero arbitrio, nempe vitalitatem, & id, quo eſt ex gratia, & prædeſtinatione, nempe ſupernaturalitatem; ergo hanc opinionem D. Thomas non probat.

Nec eam probat S. Auguſtinus, tum ſuper illa verba Pſ. 32. *Verbo Domini Cæli firmati ſunt* (Cælorum nomine intelligens Apoſtolos) *& ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*: ubi ait: *Non habuerunt aliquid ex ſe, & tamquam ſupplementum a Domino perceperunt*, Spiritu *enim* oris ejus, *non pars*, ſed omnis virtus eorum. Tum *tract.* 81. *in Joann.* ad illa verba *ſine me nihil poteſtis facere. Ne quiſquam* (inquit) *putaret ſaltem parvum aliquem fructum poſſe a ſe ipſo palmitem ferre, cum dixiſſet:* hic fert fructum multum: *non ait, quia ſine me parvum poteſtis facere: ſed* nihil poteſtis facere. Et *enarrat.* 2. in Pſalm. 30. *Sine me*, inquit, *nihil poteſtis facere. Domine, ſi ſine te nihil, totum in te. Etenim quidquid ille operatur per nos, nos videmur operari. Poteſt ille multum, & totum ſine nobis: nos nihil ſine ipſo.* In qua doctrina perpetuus eſt Sanctus Doctor *lib. de Prædeſt. Sanctor.* & *de dono Perſever.* aliiſque ſuis contra Pelagianos ſcriptis.

IX. Accedunt Chryſoſtomus *homil.* 6. *in cap.* 3. 2. *ad Cor.* ubi ad illa verba: *Non quod idonei ſimus a nobis ipſis quidquam cogitare, quaſi ex nobis ipſis:* dicit in perſona Pauli; *hoc eſt, non ita dicebant, fiduciam habemus, ut id partim ſit noſtrum, partim ſit Dei, ſed totum illi attribuo, acceptumque fero.* Et S. Bernardus, qui *Tract. de grat. & lib. arb. c.* 14. *Non partim* (inquit) *gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; ſed ut totum in illo, ſic totum ex illa.* Hoc volui, ut ſcires, quo inferres, quam immerito contrariæ ſententiæ Propugnatores conentur ſpargere, nos adverſari Scripturæ, & Patribus. At audiamus; quid opponunt.

§. III.

Adverſariorum rationes.

X. OPponunt primo illud Apoſtoli 1. *Cor.* 15. *v.* 10. dicentis: *abundantius illis omnibus laboravimus non ego autem, ſed gratia Dei mecum*, ergo liberum arbitrium, & gratia ſunt duæ cauſæ ſimul partialiter concurrentes ad laborem.

XI. Reſpondeo, explicando D. Paulum, ſed gratia Dei mecum operante viribus gratiæ, concedo, operante viribus propriis, nego, quod hæc ſit mens D. Pauli. Solum ergo vult D. Paulus, gratiam Dei cooperari noſtro libero arbitrio, agenti per vires ipſius gratiæ, non vero per vires naturæ. Unde bene ait *non ego*, quaſi diceret, non meis viribus. Pro quo noto, duplicem eſſe gratiam: aliam prævenientem, erga quam nec agit, nec cooperatur liberum arbitrium: aliam, quæ cum libero arbitrio jam per gratiam prævenientem moto, & per eam agente, cooperatur ad effectum. De priore locutus fuerat paulo ante, dum dixerat *v.* 10. *Gratia ſum id, quod ſum.* Dum vero ſubdit, *Gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius &c. non ego, ſed gratia Dei mecum*: indicat, ſe, viribus acceptis a gratia præveniente, libero arbitrio cum gratia cooperante laboraſſe. Ut enim ait S. Auguſtinus lib. de gratia, & lib. arb. c. 17. *Ut velimus, ſine nobis operatur: cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo, vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Et *lib.* 1. *oper. imperfecti* contra Julian. cap. 95. *Si non prævenit* (inquit) *ut operetur eam, ſed prius exiſtenti voluntati gratia cooperatur: quomodo verum eſt: Deus in nobis operatur & velle? Quomodo præparatur voluntas a Domino? Quomodo caritas ex Deo eſt, quæ ſola vult beatificum bonum?* & ut deſtruat concurſum partialem liberi arbitrii cum gratia *lib. de dono Perſev. c.* 6. *Tutiores* (inquit) *vivimus, ſi totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Videatur etiam D. Bernardus *de gratia & libero arbitrio cap.* 13. explicans eodem modo præfatum D. Pauli textum.

XII. Hinc diſſipatæ manent inſtantiæ, ſeu verius calumniæ, quibus aliqui nos obruere tentant, falſo exiſtimantes, nos ponere, intellectum nihil agere in viſionem, ſed mere paſſive ſe habere: & rurſus liberum arbitrium a Deo motum nihil cooperari Deo excitanti, ſed veluti inanime quoddam nihil agere, mereque paſſive ſe habere; quod in Luthero damnavit Tridentinum *ſeſſ.* 6. *Can.* 4.

Fatemur enim & nos, non minus ac adverſarii intellectum agere in viſionem, & liberum arbitrium agere cooperando Deo vocanti. Sed in hoc diſcriminamur ab adverſariis, quod illi volunt, intellectum partialiter viribus propriis agere in viſionem, nos vero virtute luminis ipſum elevantis, & cum eo ſic elevato concurrentis ad viſionem. Ipſi volunt, liberum arbitrium viribus propriis cooperari gratiæ, nos viribus gratiæ, quibus præparatur. Laborabat Paulus abundantius omnibus, gratiam Dei vacuam non reddebat: ſed quibus viribus laborabat, cooperabatur? forte propriis, & naturalibus? nequaquam; viribus gratiæ. *Certum eſt, nos velle cum volumus; ſed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum eſt:* Præparatur Voluntas a Domino... *Certum eſt, nos facere, cum facimus; ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas Voluntati, qui dixit*, faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis. Ita S. Auguſtinus *lib. de gratia & lib. arb. cap.* 6.

XIII. Neque intellectus lumine gloriæ perfuſus, ſi nihil influat propria virtute ad viſionem, ſe habebit, ut purum ſubjectum, quod denominatur videns, eo modo, quo aer illuminatus nihil agit ad illuminationem, ſed eſt purum ſubjectum lucis, quod denominatur illuminans.

XIV. Non inquam: eſt enim latiſſimum diſcrimen inter aerem ad illuminationem, & intellectum creatum ad viſionem. Nam aer ſuapte natura nec radicaliter, nec proxime eſt illuminativus, unde illuminatio eſt prorſus extra ſphæram eſſentialem aeris, omniumque potentiarum aeris, qui eſt quidem capax ſuſcipiendi lucem, non vero producendi illuminationem. At intellectus creatus, eſto careat ex ſe virtute proxima videndi Deum, habet tamen virtutem radicalem, cum ex ſua natura ſit cognoſcitivus, & Deus ut viſibilis contineatur intra ſphæram eſſentialem illius objecti ſpecificativi, ideoque cum non egeat niſi virtute elevante ad viſionem; ſi hæc accedat per lumen, ſtatim ſit potens viſionem per illud, & cum illo producere. Quare intellectus (& idem dico de voluntate) dupliciter comparatur ad habitum eum elevantem. Primo quatenus illum recipit, ut a Deo infuſum: & hoc modo certum eſt, quod non agit, ſed agitur, ſeu ſe habet per modum receptivi, ſicut aer ſe habet ad lucem. Secundo quatenus

tenus per habitum elevatus jam reſpicit viſionem : & tunc etiam ipſe intellectus agit cum lumine in Viſionem, non ratione ſui, ſed ratione habitus ſupernaturalis, ſecundum dictum S. Bernardi ſupra laudatum : *Totum quidem hoc, & totum illa, ſed ut totum in illo, & totum ex illa.*

XV. Opponunt ſecundo. Cauſæ quarum una cooperatur alteri, & quarum una deficiente, non ſubſiſtit effectus, ſunt cauſæ partiales: ſed intellectus cooperatur lumini, & lumen intellectui, & deficiente alterutro, non ſubſiſtit viſio Dei ; ergo ſunt &c.

XVI. Reſpondeo, diſt. maj. ſi ſupponat in alia virtutem ſaltem partialem ad agendum, conc. maj. ſi non ſupponat virtutem partialem proximam, ſed ſolum remotam, & elevabilem per ipſam, nego major. Lumen ergo gloriæ coadjuvat intellectum ad videndum, non tamquam ſupponens in eo compartialem virtutem ad agendum; ſicut unus coadjuvat alterum ad portandum pondus : ſed ipſum totaliter elevans, eique totam virtutem communicans. Inſuper deficiente intellectu deficeret viſio; non ex defectu virtutis partialis requiſitæ ad viſionem, ſed ex defectu potentiæ elevabilis per lumen : & ideo lumen non eſt cauſa partialis, ſed totalis ad viſionem, & eo deficiente, deficeret viſio, quia deficeret tota virtus ad eam eliciendam. Hoc urgeo eodem exemplo. Si enim duo conjungerentur ad portandum pondus, quorum unum totam virtutem ad portandum ab alio acciperet, non eſſent cauſæ partiales illius portationis; quia cauſæ partiales debent habere ſingulæ ſuam partialem virtutem diſtinctam.

XVII. Opponunt tertio. Vitalitas viſionis Dei non poteſt procedere a lumine gloriæ: ergo debet eſſe a virtute naturali intellectus. Ant. probatur. Vitalitas actus debet eſſe a principio intrinſece vitali; ſed lumen gloriæ non eſt principium intrinſece vitale, cum ab extrinſeco ſit, ergo &c.

XVIII. Reſpondetur, diſt. ant. a lumine gloriæ tamquam a principio *quod*, & vivente per illam, conc. antec. tamquam a principio *quo*, & dante vitam, nego ant. Ad prob. anteced. diſting. maj. a principio; quod ſit intrinſecum, vel egreſſive, & originative, vel affective, & inhæſive, conc. maj. ſemper originative, nego maj. Actio ergo vitalis procedit, & a principio vitali *quod* ſe movente, & vivente per illam, & hoc eſt potentia, & procedit a principio *quo*, & hoc eſt virtus, qua potentia agit. Sicut viſio ocularis, & procedit a potentia viſiva, quæ videt, & vivit per illam ; & quia potentia viſiva non videt, niſi media virtute reſidente in oculo ad videndum, ideo viſio ocularis procedit a potentia viſiva, media virtute viſiva, quæ eſt in oculo : Sic viſio Dei & procedit ab intellectu, ut principio, quod videt, & vivit per illam ; quia vero intellectus non videt Deum, niſi medio lumine gloriæ, ideo viſio Dei debet procedere etiam a lumine, ſed ut a principio *quo* videndi. Eſto autem principium vitale *quod* debeat eſſe vitale originative, & oriri ab intrinſecis ipſius viventis, & etiam principium vitale *quo* ad connaturalem actionem, principium tamen tale *quo* eliciendi actionem vitalem ſuperioris ordinis, & excedentis vires nativas, non poteſt oriri a principiis intrinſecis, ſed ſat eſt, ut ſit intrinſecum affective, & inhæſive, ideſt, quod licet ab extrinſeco adveniat ſubjecto, in eo tamen intrinſece recipiatur, illudque reddat intrinſece potens elicere actionem vitalem. Sic anima rationalis ab extrinſeco venit per infuſionem, & tamen eſt principium radicale *quo* omnium actionum vitalium, quæ ſunt in homine. Sic gratia eſt radix operationum ſupernaturalium, & habitus ſupernaturales ſunt earumdem principia proxima, & tamen hæc omnia ab extrinſeco veniunt, nempe a Deo.

Quod dixi de vitalitate, dico etiam de libertate. Nam voluntas creata vere influit in actus vitales liberos ſupernaturales, tamquam principium *quod* liberum. Sed principium, *quo* conſtituitur potens libere, puta amare Deum, radicaliter eſt gratia habitualis, proxime habitus caritatis. Quapropter aliud eſt, quod voluntas libere velit, & influat in libertatem, & vitalitatem amoris Dei, ſicut & intellectus in vitalitatem viſionis : aliud, quod propria virtute influat. Primum concedo : ſed qua virtute ? propria ? non : ſed habitu caritatis, & luminis gloriæ. Quæ in hac materia notanda ſunt.

XIX. Opponunt quarto. Si intellectus creatus propria virtute nihil ageret in viſionem, ſed totaliter virtute luminis, jam non eſſet cauſa principalis viſionis, ſed purum inſtrumentum luminis; quod ſolum eſſet cauſa principalis: ſed hoc eſt abſurdum dicere; ergo &c.

XX. Reſpondeo, neg. maj. intellectum de inſtrumento proprie tali. Hoc enim proprie dicitur illud, quod inſervit cauſæ principali ad effectum ſuum, nec ſibi, ſed illi aſſimilat affectum, utpote excedentem eſſentialem ſphæram ejus capacitatis. Intellectus autem creatus, videndo Deum, non inſervit lumini, ſed potius lumen inſervit ipſi ; non enim intellectus datur, ut lumen videat, ſed potius datur lumen, ut intellectus videat. Rurſus viſio non aſſimilatur lumini, ſed intellectui perfuſo lumine : viſio enim facit intellectum videntem, & cum ſit vitalis, evadit ſimilis agenti ſe moventi vitaliter, non principio ab extrinſeco moventi ad actum vitalem. Viſio etiam Dei, cum ſit perceptio objecti contenti intra ſphæram eſſentialem intellectus creati, non excedit eſſentialiter, ſed ſolum accidentaliter, ejus capacitatem.

XXI. Nec requiritur ad rationem cauſæ principalis (ut aliqui autumant) quod taliter operetur per virtutem ſibi propriam, ut hæc virtus oriatur ex principiis ejus, & ex intrinſecis ſuæ naturæ, ſed ſufficit, ut, etiamſi ab extrinſeco proveniat, illi tamen ſiat intrinſeca inhæſive, eamque intrinſece compleat, ac potentem reddat ad operationem. Taliter autem ex dictis ſe habet lumen gloriæ.

XXII. Dixi, intellectum lumine gloriæ elevatum non eſſe cauſam inſtrumentalem ſtricte talem. Cæterum ſi ſumatur inſtrumentum late pro omni cauſa, quæ agit, ut ab alio mota, ſic non negarim, intellectum dici poſſe improprie cauſam inſtrumentalem. Ut enim docet D. Thom. q. de ver. art. 1. ad 5. *Inſtrumentum dupliciter dicitur. Uno modo proprie, quando ſcilicet aliquid ita ab altero movetur, quod non confertur ei a movente aliquod principium talis motus, ſicut ſerra movetur a carpentario, & tale inſtrumentum eſt expers libertatis. Alio modo dicitur inſtrumentum magis communiter quidquid eſt movens ab alio motum, ſive ſit in ipſo principium ſui motus, ſive non. Et ſic ab inſtrumento non oportet, quod omnino excludatur ratio libertatis, quia aliquid poteſt eſſe ab alio motum, quod tamen ſeipſum movet: & ita eſt de mente humana.* Igitur intellectus dici poteſt inſtrumentum late reſpectu Viſionis Dei, & ſimul cauſa principalis, eo modo, quo ex eodem S. Doctore 3. contra Gentes cap. 100, *cum Deus ſit primum agens. omnia, quæ ſunt poſt ipſum, ſunt quaſi quædam inſtrumenta ipſius.*

D U B I U M IV.

An videntium Divinam Eſſentiam unus alio perfectius videat.

§. I.

Refertur error,

I. JOvinianus ſæculi quarti Hæreticus, inter alios errores, quos duobus libris contra ipſum conſcriptis refellit S. Hieronymus, quorum palmaris erat : *Virginitatem non eſſe Matrimonio præferendam*) hunc etiam ſpargebat: *omnes homines æqualiter fore beatos, ſeu æquali viſione Dei fruituros.* Hunc errorem Lutherus, aliique hujus temporis hæretici adoptarunt, diverſo tamen fundamento nixi. Nam Jovinian. in eum abiit errorem, quod Stoicorum more cenſeret, æqualia eſſe peccata, æquales virtutes, æqualia merita, & demerita; ex quo inferebat, præmium quoque, nempe viſionem beantem fore æqualem. Hæretici vero moderni hoc idem aſſerunt: quia imaginantur, nos non aliunde eſſe juſtos, niſi ex ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, cujus intuitu, nullo noſtro merito danda nobis ſit gloria; & cum Chriſti Juſtitia omnibus æqualiter imputetur, æqualis proinde gloria omnibus dabitur ; Contra hos igitur.

§. II.

Catholica veritas.

II. DIco. Videntium Divinam Eſſentiam unus videt perfectius alio, neque omnes eam vident æqualiter. Probatur primo duobus Scripturæ textibus, quos S. Hieronymus *lib.* 2. urget contra Jovinianum. Primus eſt illud Joannis 14. verſ. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Verum cum Jovinianus hæc verba non de Regno Cælorum, ſed de præſenti Eccleſia, in qua multi gradus ſunt, diceret, eſſe intelligenda, ſic eum S. Hieronymus arguit. *Quis autem riſum tenere queat in eo, quod multas manſiones apud Patrem, Eccleſias arbitretur in toto orbe diffuſas, cum manifeſtiſſime Scriptura doceat, ſecundum Evangelium Joannis, non de Eccleſiarum numero, ſed de Cælorum manſionibus, & æternis tabernaculis, quæ Propheta deſiderat, Domino fuiſſe ſermonem ?* In Domo, *inquit*, Patris mei manſiones multæ ſunt. Si quominus dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum . . . . *Locus, & manſiones quas præparare ſe dicit Chriſtus Apoſtolis, in domo utique ſunt Patris, ideſt in Regno Cælorum, non in terra, in qua ad præſens Apoſtolos relinquebat.* Deinde obſervat, manſiones parari nobis a Deo, diverſitatem vero manſionum parari ſecundum diverſitatem operum, ideoque filios Zebedæi petentes dexteram, & ſiniſtram in Regno ſuo rejecit, quia *paratæ* (inquit) *ſunt in Cælo diverſæ, & plurimæ manſiones, plurimis diverſiſque virtutibus, quas non perſonæ accipiunt, ſed opera.* Præterea ad hominem ſic redarguit Jovinianum. Si in præſenti Eccleſia, quæ futuræ figura eſt, manſiones multæ ſunt, gradus multi inferiores, ac ſuperiores : cur non erunt in futura ? cur in Cælo diverſitas nominum Angelorum, ſi non eſt diverſitas ordinum ? *Sine cauſa diverſitas nominum eſt, ubi non eſt diverſitas meritorum.*

III. Secundus textus, quem S. Hieronymus urget, eſt Pauli dictum 1. Cor. 15. verſ. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim a ſtella differt in claritate: Sic & reſurrectio mortuorum.* Quia vero Jovinianus aſſerebat, hic aſſignari differentiam, non inter Beatos, qui ſunt in Cælo, ſed inter homines ſpirituales, & carnales. *Ergo* (urget S. Hieronymus) *ſpirituales, & carnales in Cæleſtibus erunt : & jam non ſolum oves ; ſed etiam hirci tui conſcendent Regna Cælorum. Stella,* inquit, *a ſtella differt in claritate, non oves, & hirci; ſed oves & oves, ideſt ſtella & ſtella.* Et concludit. Sic, *inquit*, erit & reſurrectio mortuorum, *ut Juſti in claritate Solis luceant, & qui in ſequenti gradu ſunt, Lunæ ſplendore rutilent ; ut alius Lucifer ſit, alius Arcturus ; alius Orion &c.* Quæ Pauli verba exponens etiam Sanctus Chryſoſtomus homil. 41. *Alia*, inquit, *Solis eſt, alia Lunæ gloria. Ut in terreſtribus enim, ſic in Cæleſtibus quoque diverſitas quædam eſt non parva, prorſus ad extrema uſque pervadens. Non enim Soli Luna, aut Luna ſtellis differt modo, ſed ſtella ſtellis, omnia ſint in Cælo licet, tamen gloria viſuntur*

alia aliis majore. Quid igitur hinc proficiemus ? Quod in Regno qui ſint omnes, non eadem omnes regni gloria fruuntur: in igne qui ſunt omnes, non eadem omnes ſupplicii crudelitate torquentur. Hæc Chryſoſtomus. Ex quibus ſic arguitur. Viſio beatifica idem eſt ac manſio, idem eſt cum ſtellarum claritate; atqui ex prædictis Patribus æqualis non eſt Beatorum manſio, aut claritas; ergo non eſt æqualis eorum viſio.

IV. Urget inſuper Jovinianum Hieronymus ex illo 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, pro ut geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Ne autem dicatur, nos manifeſtari tantum, ut boni bona, mali autem recipiant mala, in eadem *Epiſt. 6. c. 9. v. 6.* adjicit: *Qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Super quæ D. Hieronymus: *Certe & qui plus, & qui minus ſeminant, de parte ſunt dextera. Et cum unum ſementis genus ſit, tamen menſura, & numero differunt.* Et infra. *Non quod menſura Chriſti diverſa ſit: ſed tantum gratiæ ejus infunditur, quantum valemus haurire.* Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem 1. *Cor. 3. v. 8.*

V. Merito igitur Joviniani, & ſequacium error primo expreſſe proſcriptus fuit cum cæteris in Concilio Romano ſub Siricio Papa. Deinde in Florentino *Decreto unionis :* ubi ſtatuitur, Beatos intueri Deum trinum, & unum, ſicuti eſt, *pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectius.* Et poſtremo Tridentinum *ſeſſ. 6. Can. 32.* ſtatuit contra Lutherum, & alios, Juſtos mereri vitæ æternæ conſecutionem, *atque etiam gloriæ augmentum.*

VI. Ratio etiam hoc evincit. Tum quia vita æterna, & viſio beans conceditur adultis, ut corona, & præmium, juxta illud Pauli 2. ad Tim. 4. v. 8. *in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die Juſtus Judex;* & conſequenter debet eſſe tanta gloria, quanta fuerunt merita ſecundum proportionem Juſtitiæ: ſed merita hujus vitæ inæqualia ſunt, ut clare indicat parabola Chriſti *Matth.* 13. de tritico præbente, alio fructum centeſimum, alio ſexageſimum, alio trigeſimum; ergo &c. Sed hoc argumentum fuſius tractabitur de *Juſtificatione, & merito*, ubi contra Jovinianum oſtendetur, merita eſſe inæqualia, & contra Lutherum, ineſſe nobis gratiam juſtificantem, qua vere poſſumus mereri.

§. III.

Joviniani fundamenta.

VII. PRæcipuum Joviniani fundamentum erat Parabola Chriſti *Matth.* 20. de Operariis, qui vocati diverſis horis, laboraverunt alii plus, alii minus in Vinea, eumdem tamen denarium pro mercede omnes receperunt. Ibi enim primo Pater familias plures operarios diverſis horis diei, prima nimirum, tertia, ſexta, nona, undecima conducit, ac mittit ad excolendam vineam. Secundo illis operariis labore perfunctis eamdem omnino mercedem rependit, nec plus tribuit iis, qui tota die, & plus laboraverunt, quam iis, qui minus, & unam tantum horam impenderunt in labore. Tertio, hoc videntes, qui plus laboraverant, conqueſti ſunt dicentes, *Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei, & æſtus.*

Ex his argui poteſt ſic. Pater familias, cujus parabola meminit, non alius eſt, quam Deus: Vinea Eccleſia : Operarii ſunt homines, qui ad illam, hoc eſt, ad laborandum per fidem, & bona opera vocati ſunt: Horæ, de quibus parabola loquitur, ſunt variæ hominum ætates, juventus, adoleſcentia, virilis ætas, & ſenectus : Denarius, qui ſingulis rependitur in mercedem, eſt beatitudo, ſeu viſio Dei; Atqui omnibus operariis datur ille denarius, & omnes æquali mercede donantur; ergo omnibus Beatis, ſive plus, ſive minus in hac vita laboraverint, erit æqualis cæleſtis beatitudo.

VIII. Reſpondetur cum D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 5. *art.* 2. *ad* 1. diſt. ultimam partem maj. denarius, qui ſingulis rependitur, eſt beatitudo objectiva, ſeu vita æterna, conc. maj. beatitudo formalis, ſeu intuitiva Dei viſio, nego maj. *Unitas denarii* (ait D. Thom.) *ſignificat unitatem beatitudinis ex parte objecti* (& in hoc omnes beati erunt pares, quia omnes vitam æternam, & ſummum bonum, quod eſt beatitudinis objectum, & cauſa, poſſidebunt æqualiter) *ſed diverſitas manſionum ſignificat diverſitatem beatitudinis ſecundum diverſum gradum fruitionis.* Quæ confirmat S. Auguſtinus ſerm. 19. *de Verb. Dom.* nunc *ſerm.* 87. *cap.* 4. dicens: *erimus ergo in illa mercede omnes æquales, tamquam primi noviſſimi, & noviſſimi primi, quia denarius ille vita æterna omnes æquales erunt. Quamvis enim meritorum diverſitate fulgebunt, alius magis, alius minus: quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus: non enim alteri erit longius, alteri brevius &c.*

Porro quia vita æterna datur, non iis ſolum, qui tota vita laboraverunt, ſed aliquando iis etiam, qui in extremo vitæ vocati converſi ſunt, ut contigit Latroni in Cruce pendenti, ideo inducitur præcitata querela aliorum, qui tota die laboraverant. Vel dicatur, querelam nomine antiquorum Patrum exponi, qui cum ab initio mundi laboraverint, denarium tamen beatæ viſionis non ſunt conſecuti, niſi poſt mortem Chriſti, quo tempore eumdem conſecuti fuere etiam ii, qui noviſſime a Chriſto electi fuerant. Ita *S. Gregorius homil. 19. in Evangelia.*

IX. Reſp. ſecundo, diſt. min. omnibus operariis æqualibus in merito, licet non in tempore laboris, conc. min. inæqualibus, & in tempore laboris, & in merito, nego min. & eodem modo diſt. conſeq. Ideo qui noviſſimi fuerunt in labore inæquale præmium acceperunt, quia brevis temporis ſpatio meritum eorum, qui tota die laboraverant, aſſecuti ſint. Ita S. Gregorius Nazianz. *orat. 40. n. 20. Tametſi* (inquit) *quantum ad laboris modum plus contulerint, qui priores ingreſſi ſunt, non tamen quantum ad inductionis animi menſuram ; eaque etiam ratione poſtremis fortaſſe amplior merces debebatur.* Cujus rationem aſſignans ſubdit : *Illi enim non prius crediderunt, nec ingreſſi ſunt, quam ipſis ex conventu merces conſtituta fuiſſet. Hi nulla condicta mercede ad laborem acceſſerunt ; quod quidem majoris fidei argumentum eſt. Ad hæc, illi invidiæ, & ad murmurandum proclivis natura eſſe inventi ſunt : his nihil tale objicitur. Tum etiam illis merces erat, quod dabatur, etiamſi improbis, & malignis : his gratia. Quare ſtoliditatis etiam, & amentiæ damnati, ampliori mercede merito privati ſunt &c.*

X. Objicies ſecundo. Carentia viſionis beatæ erit æqualis in Damnatis; ergo ipſa viſio Dei erit æqualis in Beatis.

Reſp. nego conſeq. Et diſparitas eſt, quia carentia viſionis eſt privatio, viſio autem eſt poſitivum ; privationes autem ſunt indiviſibiles, unus enim cæcus non eſt magis cæcus altero, quia privatio totum tollit ; poſitiva autem poſſunt ſuſcipere magis, & minus, unus enim poteſt magis, & melius videre, quam alter.

XI. Dices. Etiam viſio Dei eſt indiviſibilis, cum ſit viſio ſummi boni, quod, ſi ſummum eſt, non poteſt augeri, aut minui. —- Rurſus videtur Deus *ſicuti eſt*, ſed Deus uno modo, ac indiviſibili eſt; ergo uno, ac indiviſibili modo videtur ab omnibus. —- Ulterius ſpecies, qua omnes Beati videant, nempe eſſentia divina, eſt indiviſibilis ; ergo indiviſibilem petit viſionem.

XII. Reſpondeo ad primum, ſummum bonum in ſe, & ex parte rei viſæ eſſe indiviſibile, modum tamen videndi ipſum eſſe diviſibilem: cum enim ratione ſuæ eminentiæ videri non poſſit totus, & totaliter, ab uno magis penetrari poteſt, quam ab altero.

Ad ſecundum reſpondeo cum D. Thoma hac qu. 12. art. 6. ad 1. *quod, cum dicitur,* videbimus eum ſicuti eſt, *hoc adverbium* ſicuti *determinat modum viſionis ex parte rei viſæ, ut ſit ſenſus: videbimus, eum ita eſſe, ſicuti eſt: quia ipſum eſſe ejus videbimus, quod eſt ejus eſſentia. Non autem determinat modum viſionis ex parte videntis, ut ſit ſenſus: quod ita erit perfectus modus videndi, ſicut eſt in Deo perfectus modus eſſendi.* Et in *4. diſt. 49. qu. 2. art. 4. ad 4.* ait: *ly* ſicut *importat modum, qui eſt ex parte viſi, non qui ex parte videntis. Quilibet enim videbit, Deum eſſe eo modo, quo eſt: ſed tamen modus videntis non eſt æqualis modo rei viſæ, ſed in infinitum diſtans ; & ita modus unius videntis poteſt eſſe minus diſtans, quam modus alterius.*

Ad tertium reſpondeo cum eodem S. Doctore in quarto loco citato *ad 2. quod quamvis in intellectu unius Sancti non ſit expreſſior ſimilitudo Dei, qua ipſum cognoſcit, quam in alio: quia quilibet per eſſentiam ſuam Deum videt, tamen intellectus unius perfectius ſubſtat formæ, qui intelligit, quam intellectus alterius; & ita unus alio perfectius intelligit.*

XIII. Objicies tertio. Beati omnes ſatiabuntur: ſed ſi non eſſent æquales in Viſione Dei, qui minus viderent, & eſſent minus beati, non ſatiarentur, nam appeterent majorem viſionem, & beatitudinem; ergo &c.

XIV. Reſp. neg. min. qui enim minus videbit, cognoſcet ſua merita, & quod ratione illorum non eſt naturaliter capax majoris viſionis, ſicque ſua ſorte plene erit contentus, nec majorem deſiderabit. Sicuti ſi dentur duo vaſa, quorum unum poſſit continere decem menſuras aquæ, & aliud tantum unam, iſtud vas erit ita plenum, & ſatiatum in menſura ſua, ſicut aliud ſatiatur per decem; & ſicut ſi Pater eodem panno veſtiat filium adultum, & minorem natu, iſte ſua veſte erit contentus, quamvis minore panni quantitate veſtiatur, quam alter, quia ſcit, tantum panni habere, quanti eſt capax, ut veſtiatur. Hinc D. Th. 1. 2. qu. 5. art. 2. ad 3. *Nulli beato* (inquit) *deeſt aliquod bonum deſiderandum, cum habeat ipſum bonum infinitum, quod eſt* bonum omnis boni, *ut Auguſtinus dicit* (*Epiſt. 56. & 13. de Trinit. c. 7.*) *ſed dicitur aliquis alio beatior ex diverſa ejuſdem boni participatione. Additio autem aliorum bonorum non auget beatitudinem, unde Auguſt. dicit 5. Conf. cap. 4.* Qui te, & illa novit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum Beatus. Hoc idem S. Auguſtinus dilucide expreſſit *lib. 22. de Civit. Dei c. 30.* ubi poſtquam dixit, futuros eſſe, qui *pro meritis, præmiorum* etiam gradus, honorum, atque gloriarum conſequantur: ſubdit : *Atque id etiam Beata Civitas illa magnum in ſe bonum videbit, quod nulli ſuperiori ullus inferior invidebit, ſicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri: tamque nollet eſſe unuſquiſque, quod non accepit, quamvis ſit pacatiſſimo concordiæ vinculo ei, qui accepit, obſtrictus, quam nec in corpore vult oculus eſſe, qui eſt digitus, cum membrorum utrumque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.*

D U B I U M V.

Unde ſumatur inæqualitas in videndo Deum.

§. I.

Referuntur opiniones.

I. SEnſus quæſiti eſt, an quod unus Beatus videat Deum perfectius, quam alter, proveniat unice, quia habet perfectius Lumen Gloriæ, an vero etiam provenire poſſit ex eo, quod acutiori vi naturali intellectiva præditus ſit.

XI. Confirmatur ex Auguſtino *Epiſt.* 112. ſeu 147. citata. Illud comprehenditur, quod ita totum videtur, quod nihil ejus lateat videntem; ſed nihil Dei latet Beatos, quia, cum ſumme ſimplex ſit, non poteſt videri clare, quin videatur totus, ſeu quin videantur omnia, quæ in illo ſunt; ergo &c.

XII. Reſp. cum D. Thoma hic *ad* 3. quod ly *totaliter* dicit *modum objecti: non quidem ita, quod totus modus objecti non cadat ſub cognitione; ſed quia modus objecti non eſt modus cognoſcentis*: ideſt, quia modus, quo cognoſcitur, non eſt modus, quo objectum petit cognoſci: & modus, quo petit cognoſci, infinite excedit modum, quo cognoſcitur. Fateor ergo, quod *qui videt Deum per eſſentiam, videt in eo, quod infinite exiſtit, & quod infinite cognoſcibilis eſt*: & ſic videt omnem modum, qui eſt in Deo. Sed non videt eo modo, ſcilicet infinito, quo Deus petit cognoſci. *Sicut aliquis probabiliter ſcire poteſt, aliquam propoſitionem eſſe demonſtrabilem, licet ipſe eam demonſtrative non cognoſcat.*

XIII. Ad confirm. reſpondeo primo cum eodem ibi *ad* 2. *quod non propter hoc Deus incomprehenſibilis dicitur, quaſi aliquid ejus ſit, quod non videatur, ſed quia non ita perfecte videtur, ſicut viſibilis eſt. Sicut, cum aliqua propoſitio demonſtrabilis per aliquam probabilem rationem cognoſcitur, non eſt aliquid ejus, quod non cognoſcatur, nec ſubjectum, nec prædicatum, nec compoſitio; ſed tota non ita perfecte cognoſcitur, ſicut cognoſcibilis eſt*; quia ad finem in modo cognoſcendi illam non pervenitur.

XIV. Reſp. ſecundo ex eodem S. Doctore ibi *art.* 7. diſt. maj. ut nihil ejus lateat, nec quoad formalia, & intrinſeca, nec quoad virtualia, & connotata, conced. maj. nihil lateat quoad formalia, nego maj. & diſt. min. nego conc. Ut ergo aliquid comprehendatur, non ſufficit, ut totum ſic videatur, ut nihil ejus lateat videntem quoad prædicata formaliter, & intrinſece in eo exiſtentia: hoc enim pertinet ad cognitionem ſolum quidditativam; ſed ulterius requiritur, ut penetret etiam omnia, quæ in eo latent, ſeu quæ virtualiter ſunt in illo, comprehendendo ejus virtutem, & in eo cognoſcat omnia, etiam quæ poteſt facere: hoc enim eſt fines objecti circumſpici, & circumſcribi, & ad finem in modo cognoſcendi pervenire, ut Auguſtinus requirit ad veram comprehenſionem. Cum autem nec Beati videant, nec ulla creatura videre poſſit omnia, quæ Deus facere poteſt, nec virtutem ejus totaliter penetrare, ut probat *D. Thom.* 1. *part. quæſt.* 12. *art.* 8. inde non poteſt creatura illum comprehendere.

XV. Secundo objici poteſt, & ſimul inſtari. Poteſt intellectus creatus videre omnia prædicata formalia, & intrinſeca Dei, & illa videre modo finito; ergo etiam poterit videre omnia prædicata virtualia Dei, & illa videre modo finito: quia non magis infinita iſta ſunt, quam illa: immo minus, cum ea, quæ poteſt Deus facere, infinita ſint in numero quidem, ſed non in entitate: prædicata vero intrinſeca Dei in entitate infinita ſunt, cum ſint ipſum eſſe per eſſentiam.

XVI. Reſp. diſt. conſeq. videre modo infinito, ut viſa in ſe ipſis, omitto conſeq. ut viſa in Deo, & ex vi cognitionis divinæ virtutis, nego conſeq. Dato ergo, quod videre prædicata extrinſeca Dei, nempe poſſibilia, non argueret infinitum modum in cognoſcente, illum argueret eadem videre in Deo, & ex vi penetrationis omnipotentiæ: quia, ut docet S. Thomas citato *art.* 8. hoc eſſet comprehendere ejus virtutem: nullus enim intellectus poteſt in cauſa cognoſcere omnes cauſæ effectus, niſi qui cauſam totaliter comprehendit. At dum cognoſcit prædicata intrinſeca Dei, cognoſcit objectum infinitum; ſed quia non adæquate illud penetrat, & totaliter, etiam quoad latentia, non cognoſcit illud modo infinito, ſed finito.

XVII. Tertio objici poteſt. Falſum eſt, quod, ut aliquid comprehendatur, debeat tantum cognoſci, quantum cognoſcibile eſt; ergo &c. Ant. prob. primo. Formica comprehenditur, tum ab Angelo ſuperior, tum ab inferiori: & tamen Angelus ſuperior perfectius illam cognoſcit. Secundo. Angelus inferior in ſententia multorum comprehendit Angelum ſuperiorem: & tamen Angeli inferioris cognoſcitivitas non adæquat cognoſcibilitatem Angeli ſuperioris, & proinde eum non cognoſcit quantum cognoſcibilis eſt. Ergo &c.

XVIII. Reſp. neg. ant. ad primam, prob. conc. ant. nego conſeq. Quando enim dicimus, ad notitiam comprehenſivam requiri, quod tantum cognoſcatur objectum, quantum cognoſcibile eſt, non intendimus, quod debeat cognoſci ea perfectiſſima cognitione, qua cognoſci poteſt, alias nil poſſet comprehendi, niſi a Deo: ſed ſolum, quod debeat cognoſci, quantum ejus cognoſcibilitas petit, hoc eſt, cognitione adæquante, & tanta, quantam petit ejus cognoſcibilitas, ut perfecte cognoſcatur. Eſto autem Angelus inferior non ita perfecte in modo cognoſcendi cognoſcat formicam, ut ſuperior; tamen cognitio inferioris Angeli, non ſolum adæquat cognoſcibilitatem formicæ, ſed eam longe ſuperat.

Ad ſecundam, quæ poteſt eſſe replica, diſt. min. non adæquat ex parte rationis, *qua* attingitur, nego min. non adæquat ex parte rationis *ſub qua*, ſubdiſt. non adæquat in ſpecie, conc. min. in gradu, nego min. Itaque ad comprehenſionem requiritur quidem, quod cognitio ita adæquet rem, ut cognoſcat illam tantum, quantum petit cognoſci ex parte rei cognitæ, ita, ut nihil ſit in re, ſive formaliter ſive virtualiter, quod per illam cognitionem non penetretur. Quod autem res non attingatur ſub tanta ratione *ſub qua*, ſeu ſub tanta actualitate ſpecifica, quantam habet in ſe, hoc non requiritur. Hinc ergo fit, quod cum Angelus inferior cognoſcat ex parte rationis *qua* quidquid eſt in Angelo ſuperiori, ita ut nihil eorum, quæ in ſuperiori ſunt, lateat inferiorem, bene dicitur illum comprehendere. At nulla creatura quantovis lumine elevata poteſt, neque ex parte rationis *qua*, divinam cognoſcibilitatem adæquare, ſecundum ea, quæ continet tam formaliter, quam virtualiter, quia ad hoc requireretur, quod intellectus infinito perfunderetur lumine, Deumque infinito modo cognoſceret.

XIX. Quarto objici poteſt. Deus ut comprehenſibilis cadit ſub objecto adæquato intellectus creati; ergo hic poterit elevari ad comprehendendum ipſum. Antecedens probatur. Deum eſſe comprehenſibili modo cognoſcibilem eſt perfectio exiſtens in Deo; ſed Beatus videt omnem perfectionem exiſtentem in Deo; ergo videt Deum ut comprehenſibilem.

XX. Reſp. neg. ant. Deus enim, ut cadit ſub objecto adæquato intellectus creati, eſt Deus finito modo attingibilis, & conſequenter Deus, ut quidditative cognoſcibilis, non comprehenſive: ſic enim eſt objectum ſolius Intellectus Divini. Ad probat. autem conc. totum. Aliud enim eſt cognoſcere, Deum eſſe comprehenſibilem, aliud Deum comprehendere. Nam Beatus videt, Deum eſſe infinite cognoſcibilem, & tamen Deum infinite non cognoſcit. Et poteſt aliquis cognoſcere, propoſitionem aliquam eſſe demonſtrabilem, quam tamen demonſtrative non cognoſcit, ſed ſolum probabiliter. Sic Beatus videt comprehenſibilitatem Dei, at eam videt quidditative, non comprehenſive, videt immenſitatem, ſed non immenſe, infinitatem, ſed non infinite. Et ratio eſt, quia videre, aliquid eſſe comprehenſibile, dicit ſolum videre objectum, quod poſſit comprehendi ab aliquo. At videre comprehenſive eſt de facto illud comprehendere; ſicut videre objectum infinite eſt de facto illud infinito modo videre.

XXI. Quinto argui poteſt. Anima Chriſti comprehendit ſcientiam viſionis Dei; ergo comprehendit Deum, quia quidquid in Deo eſt, Deus eſt. Antecedens probatur. Anima Chriſti cognovit ea omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis; ergo comprehendit ſcientiam viſionis.

XXII. Reſp. nego ant. ad probat. diſtinguo antecedens, ſcientia viſionis inadæquate ſumpta, concedo antecedens, adæquate ſumpta, nego ant. Scientia viſionis Dei ſumi poteſt & inadæquate, ut ſolum dicit cognitionem eorum, quæ ſunt, erunt, & fuerunt: & hoc modo anima Chriſti videt omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis. Sumi etiam poteſt adæquate, ut ſcientia viſionis Dei eadem eſt ac ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & dicit ſcientiam omnium, quæ in Deo ſunt tam formaliter, quam virtualiter. Qui ergo conoſceret omnia, quæ Deus cognoſcit ſcientia viſionis adæquate accepta, cognoſceret omnia, quæ in Deo ſunt tam formaliter, quam virtualiter, & Deum comprehenderet. Sed hoc modo nec anima Chriſti, nec ulla creatura videre poteſt omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis.

D u b i u m II.

Quid Beati in Deo videant: an Deum ſimul unum, & trinum: & an aliter de poſſibili contingere queat?

§. I.

Reſolvitur prima pars.

I. NOto, ea, quæ in Deo ſunt: alia eſſe in eo formaliter, ut eſſentia, attributa, ſeu perfectiones ſimpliciter ſimplices, & relationes, ſeu Perſonas; alia vero eſſe in eo virtualiter ſolum, ſeu eminenter, ut creaturæ omnes, quas produxit, & poteſt producere. Rurſus ea, quæ ſunt in Deo formaliter; alia ſunt in eo neceſſario, ut attributa, & relationes; alia libere, ut decreta divinæ voluntatis, quæ ita in eo ſunt, ut potuerint in eo non eſſe. Et rurſus neceſſaria; alia ſunt omnino abſoluta ab omni reſpectu ad creaturas, ut quædam attributa, quibus Deus ſe denominatur; alia dicentia quemdam reſpectum ad creaturas. In hoc dubio de neceſſario in Deo exiſtentibus ſermo erit, & quidem in triplici ſenſu. Primo, an de facto beatus omnia, quæ formaliter in Deo neceſſario ſunt, videat. Secundo, an videat etiam omnia, quæ neceſſario virtualiter in eo ſunt. Tertio, an ſaltem de potentia abſoluta poſſit fieri, ut ex iis, quæ formaliter neceſſario in Deo ſunt, Beatus unum videat, alio non viſo.

II. Dico primo: Beati videntes Deum de facto vident omnia, quæ formaliter neceſſario in eo ſunt, nimirum Eſſentiam, Perſonarum Trinitatem, & Attributa omnia ſecundum proprias eorum rationes formales. In hoc aſſerto conveniunt omnes Theologi, & merito. Videtur enim declaratum tamquam de fide a Concilio Florentino in *Decreto unionis*, ubi ſtatuitur: *Animæ ſuis exutæ corporibus purgatæ in Cælum mox recipiuntur, & intuentur clare Deum unum, & trinum, ſicuti eſt.* Et probatur teſtimonio Chriſti, tum Joann. 17. verſ. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Tum Joann. 14. verſ. 9. *Qui videt me, videt & Patrem meum*: rationem aſſignans verſ. 10. *Non creditis* (inquit) *quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Et 1. Jo. 3. verſ. 2. *Similes ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt.* Cum ergo Deus ſit unus, & trinus in ſe, & formaliter bonus, ſapiens &c. omnia iſta videbit Beatus, alia non videret Deum, ſicut eſt, ſed aliter ac eſt, ſi unum videret, non viſo alio.

Ratio etiam ſuadet. Viſio enim beata eſt quidditativa, & intuitiva; ergo omnia attingit, quæ ad Dei quidditatem ſpectant. Et eo maxime, cum quidditas Dei ſit ſumme ſimplex, immo una ſimpliciſſima res, non poteſt intellectui beato præſentare ſeipſam clare, ut eſt quin omnia ſecum ei præſentet. Sed de hoc fuſius infra §. 3.

III. Quæres, an omnia hæc per unicum actum videantur, an per plures?

IV. Reſpondeo cum D. Thoma *hac* 1. *part. quæſt.* 12. *art.* 10. quod ea, quæ Beati vident in Verbo, non ſucceſſive vident, ſed ſimul, & eodem actu. Intantum enim nos eodem actu, & ſimul non poſſumus multa intelligere, quia multa per diverſas ſpecies intelligimus; diverſis autem ſpeciebus non poteſt intellectus unius ſimul actu informari, ſicut nec unum corpus poteſt ſimul diverſis figurari. Si tamen contingat, nos per unam ſpeciem multa intelligere poſſe, ſicut ſi per unam ſpeciem totius ſingulas partes ejus cognoſcamus, tunc ſimul intelligemus multa. Atqui Beati ea, quæ vident in Deo, non ea vident per proprias & diſtinctas ſpecies, ſed per unam ſpeciem omnia clare & diſtincte repræſentantem, nimirum divinam eſſentiam. Ergo omnia ſimul unico actu vident.

§. II.

An de facto videant, quæ virtualiter in Deo ſunt.

V. DIco ſecundo. Beati non vident omnia, quæ virtualiter in Deo ſunt, immo nec videre poſſunt, ſed aliqui vident plura, alii pauciora. Ita S. Thomas *quæſt.* 12. *citata artic.* 8. Tres habet partes hoc aſſertum. Prima, & ſecunda probantur ratione D. Thomæ, quam Dubio præcedente tetigimus. Nam ſi Beatus de facto videret in Deo, aut videre poſſet omnes creaturas poſſibiles in particulari, ſeu quidquid Deus poteſt facere diſtincte, & ſecundum particulares rationes, de facto comprehenderet virtutem effectivam Dei, ſeu Omnipotentiam, vel eam comprehendere poſſet; ſed hoc eſſe impoſſibile, Dubio præcedente oſtendimus; ergo &c. Major probatur principio S. Thomæ. Quanto aliqua cauſa perfectius videtur, tanto plures effectus in ipſa videntur, & e contra quanto plures effectus in cauſa videntur, tanto perfectius cauſa videtur; ergo qui omnes effectus in cauſa videret, perfectiſſime eam videret, quia eam undequaque penetraret, & omnia in ea latentia detegeret; ergo eam comprehenderet.

VI. Hinc, eſto Beati videntes Omnipotentiam, videant etiam terminum omnipotentiæ, quod eſt quodcumque poſſibile, non ſequitur, quod eam comprehendat. Nam videntes poſſibile ſub ratione poſſibilis vident quidem terminum formalem Omnipotentiæ, ſed non vident terminos materiales, ſeu rationes particulares omnium eorum, quæ poſſibilia ſunt, quæ in Omnipotentia latent: & quod ad comprehenſionem neceſſarium eſſet.

VII. Similiter eſto videant Filium Divinum, qui eſt terminus adæquatus potentiæ generativæ Patris, non ſequitur, quod iſtam comprehendant, quia vident illum ſolum intuitive, & quidditative, non vero comprehenſive, ideſt ſecundum omnia, quæ exprimit, aut repræſentat.

Et *licet* inſuper (ait. D. Thom. hic ad 3.) *majus ſit videre Deum, quam omnia alia: tamen majus eſt videre ſic Deum, quod omnia in eo cognoſcantur, quam videre ſic ipſum, quod non omnia, ſed pauciora, vel plura cognoſcantur in eo.* Unde primum infert Dei comprehenſionem, non ſecundum.

VIII. Tertia pars probatur ex Divo Thoma *artic.* 8. *citato in corp.* ubi concludit: *Sed horum, quæ Deus facit, vel facere poteſt, tanto aliquis intellectus plura cognoſcit, quanto perfectius Deum videt.* Illa porro creatura plura in Deo detegit, & perfectius Deum videt, quæ majori lumine donatur, ut dictum eſt. Cur autem ab iſta aliquæ potius detegantur, quam aliæ, ratio ab intrinſeco traditur a D. Thoma *q.* 8. *de potentia artic.* 4. *ad* 12. quia ſcilicet *quædam ſunt latentiores, quædam manifeſtiores: & ideo ex viſione divinæ eſſentiæ quædam cognoſcuntur, quædam non.* Quod exemplo confirmat dicens: *Sicut patet, quod ex principiis demonſtrationis ſtatim aliquæ concluſiones eliciuntur, quædam vero non niſi per multa media.* Alia etiam ratio ab extrinſeco eſſe poteſt beneplacitum Dei; Cum enim cognitio ullius creaturæ non pertineat ad ſubſtantiam beatitudinis, ut docet idem D. Thomas mox relatus, ſicut Deus manifeſtat Beato ex creaturis exiſtentibus, quas ipſi placet, ita ex creaturis poſſibilibus, eſto omnes forent æqualiter viſibiles.

Quæres tamen, an Deus poſſit a Beato videri, non viſa in eo ulla creatura in particulari?

IX. Reſpondeo affirmative, quia nullius creaturæ viſio eſt de ſubſtantia beatitudinis. Ita Div. Thomas *hac quæſt.* 12. *artic.* 8. *ad* 4. Naturale enim deſiderium intellectus non petit *cognoſcere illa, quæ nondum ſunt, ſed fieri a Deo poſſunt. Si tamen ſolus Deus videretur, qui eſt fons, & principium totius eſſe, & veritatis, ita repleret naturale deſiderium ſciendi, quod nihil aliud quæreretur, & beatus eſſet. Unde dicit Auguſtinus* 5. Confeſſ. cap. 4. *Infelix homo, qui ſcit omnia illa* (ſcilicet creaturas) *te autem neſcit: beatus autem qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat. Qui vero & te, & illa novit, non propter illa beatior eſt: ſed propter te ſolum beatus.*

§. III.

An de potentia Dei abſoluta poſſit Beatus videre prædicatum Divinum abſolutum, ſive relativum ſine alio, vel abſolutum ſine relativo.

THomiſtæ, alique plures conſtanter negant. Scotiſtæ affirmant, volentes, quod videre omnia, quæ in Deo formaliter neceſſario ſunt, ſit quidem connaturale viſioni, ut intuitiva, quidditativa, & beatificativa, non tamen eſſentiale.

X. Dico tamen. Fieri nullo modo poteſt, ut videatur aliquid in Deo, quin videatur quidquid formaliter neceſſario in illo eſt; ideoque quin viſa eſſentia videantur attributa, relationes &c. Hoc primo oſtendunt verba Chriſti ſupra Joann. 14. verſ. 9. & 10. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis, oſtende nobis Patrem? non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Ubi Chriſtus ſic arguit. Ego ſum in Patre, & Pater in me (propter ſcilicet unitatem eſſentiæ); ergo qui videt me, videt & Patrem; ſed ſi videri poſſet Filius in ſe, non videndo Patrem, hæc Chriſti illatio non eſſet legitima, quia poſſet dari antecedens verum, & conſequens falſum; ergo &c.

XI. Reſpondet Fraſſen primo, Chriſtum ibi loqui de viſione per fidem, ac ſi dicat, qui credit mihi, & operibus meis, neceſſe eſt, ut videndo me nempe divinitatem meam per fidem videat & Patrem, quia Pater in me manens ipſe facit opera.

XII. Reſpondet ſecundo, illationem Chriſti eſſe legitimam, ſed tantum connaturalem, & attenta potentia ordinaria, non vero neceſſariam.

XIII. Sed contra primum, data illa explicatione (quam dicunt eſſe Chryſoſtomi *homil.* 73. *in Joann.* Cyrilli *lib.* 9. *in Joann. cap.* 37. & Tertulliani *lib. contra Praxeam cap.* 24.) arguo ſic. Qui credebat Chriſto, & operibus ejus, neceſſe erat, ut videns Divinitatem ejus per fidem, videret & Patrem, quia Pater in eo manens faciebat opera; ergo multo magis qui intuitive, & clare videt Filium, neceſſe eſt, ut videns Divinitatem ejus, videat & Patrem, quia Pater in eo manens ei communicat ſubſtantiam.

XIV. Contra ſecundum ſic. Tunc illatio eſt neceſſaria, quando unum ſine altero non poteſt oſtendi, quia unum ſunt; atqui hæc eſt illatio Chriſti; ergo &c. Major patet, quia cauſalis æquivalet univerſali, & neceſſariæ propoſitioni. Minorem vero docet Sanctus Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 8. ſic: *Sive audiamus, oſtende nobis Filium, ſive audiamus, oſtende nobis Patrem; tantumdem valet; quia neuter ſine altero poteſt oſtendi: unum quippe ſunt; ſicut & ipſe ait: Ego & Pater unum ſumus.* Et enarrat. in Pſalm. 85. *Videtis* (inquit) *quod in Viſione Patris & Filii viſio eſt: ideo conſequenter ſubjecit, & dixit*: neſcitis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? *Ideſt, & me viſo, videtur & Pater, & Patre viſo videtur & Filius. Patris & Filii ſeparari non poteſt viſio. Ubi non unius ſeparatur natura, & ſubſtantia, viſio ſeparari non poteſt.* Ex quibus ita ſubſumo. Sed ſubſtantia unius nempe Filii ſeparari non poteſt, nedum naturaliter, ſed eſſentialiter; ergo viſio unius ſeparari non poteſt a viſione alterius, nedum naturaliter ſed eſſentialiter.

XV. Secundo. Hoc idem docet Angelicus Præceptor, tum 2. 2. *qu.* 2. *art.* 8. *ad* 3. ubi de ſumma Dei bonitate ait: *Summa bonitas Dei ſecundum modum, quo nunc intelligitur per effectus, poteſt intelligi abſque Trinitate Perſonarum. Sed ſecundum quod intelligitur in ſeipſa, prout videtur a Beatis, non poteſt intelligi ſine Trinitate Perſonarum.* Tum 3. *p. quæſt.* 3. *art.* 3. *in corp.* ubi loquens de cognitione Dei, ut in ſe eſt, hæc ſcribit: *Sic impoſſibile eſt, quod circumſcribatur per intellectum aliquid a Deo & quod aliud remaneat: quia totum, quod eſt in Deo, eſt unum ſalva diſtinctione Perſonarum: Quarum tamen una tollitur ſublata alia, quia diſtinguuntur ſolis rationibus, quas oportet eſſe ſimul.*

XVI. Probatur ratione primo. Beati vident Deum, ſicut eſt in ſe, ut 1. *Joannis* 3. *verſ.* 2. ſed ſi viderent Deum unum, & non trinum, eſſentiam, & non attributa, non viderent Deum, ſicuti eſt, ſed aliter ac eſt: nam illum viderent unum, & non trinum, cum ipſe ſit unus, & trinus; viderent eſſentiam, & non attributa, cum in ſe ſit eſſentia, & attributa; ergo &c.

XVII. Confirmatur primo. Si Divina eſſentia tantum exiſteret in uno ſuppoſito, ea non poſſet videri, ſicuti eſſet, niſi videretur illud ſuppoſitum; ergo cum revera exiſtat in tribus ſuppoſitis, impoſſibile eſt, eam videri, ut eſt in ſe, & non videri tria ſuppoſita.

XVIII. Confirmatur ſecundo. Magis diſtinguuntur in Angelo natura, & perſona, quam in Deo; ſed fieri non poteſt, quin aliquis videat Angelum, ſicuti eſt, quin etiam videat ejus perſonam; ergo nec quiſpiam videre poterit Deum, ſicuti eſt, quin videat tres Perſonas.

XIX. Confirmatur tertio ex Divo Thoma nuper allato. Videre eſſentiam Divinam, ſicuti eſt, & non videre attributa, vel Perſonas, eſt attributa, & Perſonas non amplius in Deo remanere: videre Patrem, & non Filium, eſt Filium non remanere; ſed hoc eſt impoſſibile, cum ſit Deum deſtruere; ergo &c. Major probatur. Ut attributa, & Perſonæ remaneant in Deo, debent eſſe unum, & idem realiter cum eſſentia: ut Filius remaneat, debet eſſe ſimul cognitione cum Patre; ſed ſi videretur eſſentia divina, ut revera eſt in ſe, non viſis attributis, & relationibus, jam attributa & relationes non eſſent unum realiter cum eſſentia: & ſi videretur Pater, non viſo Filio, Filius non eſſet ſimul cognitione cum Patre; ergo &c.

XX. Probatur ſecundo ratione communi. Viſio Dei debet eſſe intuitiva, quidditativa, & beatificans, ut Scotiſtæ admittunt; ſed, ut talis ſit, non ſolum connaturaliter, ut fatentur, ſed neceſſario, & eſſentialiter debet videre omnia, quæ formaliter neceſſario in Deo ſunt; ergo &c. Minor probatur. Quatenus intuitiva (ad differentiam cognitionis abſtractivæ, quæ apprehendit objectum proportionate ad captum ſuum) debet videre Deum ut eſt in ſe; & conſequenter unum ſine altero videre non poteſt, ut jam probatum eſt. Quatenus quidditativa debet ferri ad rem ſecundum omnia, quæ in ſuo conceptu quidditativo importat: non enim eſſet quidditativa, ſi non at-